DE VE=
RA LIBERTATE EVAN=
gelica, ſub duodecim aſſertionum & uiginti errorum poſi=tionibus, eliquata Lucubra=tio.

Authore Gaſpare Saſgero Minorita.

Tubingæ. Anno. M. D. XXV.

ANNO M.D.XX

IOANNES. MARC. LVC. MAT

1.5.22.

2

IOANNES AMERSFORDIAnus Christiano lectori salutem.

Fuerunt olim, pie lector, inter Iudæos pharisaicæ factionis nonnulli, qui suas traditiunculas magno supercilio uenditantes, simplici plebi pro sacrosanctis dei decretis, suas adinuentiones obtrudebant. Quos Seruator noster in Euangelio acrius redarguens, cæcos, cæcorūq; ductores exitio proximos rectissime appellitauit. His non absimiles procedente tempore legis euangelicæ sese prodiderunt non pauci, qui passim constitutiones humanas, quibus uel quæstus uel assentationis gratia plus iusto tribuerunt, diuinis præceptis æquare conati sunt, & transgressoribus earundē, tanquàm letali crimine obnoxios, regni cœlestis ianuas occluserunt. Nouißime omniū, nostris infœlicißimis temporibus, prodijt hominum genus longe perniciosißimum, qui diuina pariter & humana temerantes, sursum deorsumq; omnia confundentes, ad unum omnia oīm hoīm mādata, constitutiones siue decreta, auferre conantur, ut sic Christianos omnes (ut aiunt) in euangelicam asserant libertatem, quos uolunt hominum quibuscunq; præceptiunculis, ni consentiant, obligari non posse, postquàm semel à Christo libertate donati sunt. Sed certe si diligentius intueamur quam quærat libertatem Christianum uulgus, luce meridiana clarius est, non esse eam quàm Christus suis contulit

uit, sed quàm spiritus ille refuga, primum angelis desertoribus sibi adhærentibus, demum primis nostris progenitoribus persuasit, quanq; diuus Petrus uelamen maliciæ libertatem nominauit. Hi namq; diuinas pariter & humanas leges negligunt, iugum omne subiectionis excutere moliuntur, & per communem tumultum cœlum terræ miscere conantur. Nō Christus hoc docuit, non Apostoli, alijq; ipsorū sectatores. Legimus in sacris literis fideles Christianos, ꝑpter Christum, suarū possessionum direptionem fuisse perpessos, ipsos uero de aliorum bonis egisse predam haud quaquàm legimus. Sed ut ad institutum redeam, ijs qui alijs præsunt, debetur suus honos, debetur obediētia, ordinationes eorū bonæ contemni non debent. Si tamē fuerint pure humanæ, aut non pure diuinæ, diuinis decretis, quoad æqualem obligationem in conscientia, æquiparari non possunt. Satis sit quòd transgressores earundem temporali pœna plectantur. Quàm apte doceat hæc uenerandus pater noster Sasgerus, quæq; sit uera Christianorū libertas, in hoc libello uidere potes, qui mea sententia absq; offensione legi potest. At caueas tu quisquis es Christiane lector, ne ex eo morti ferū uirus exugas, quo magis hominū uelis statuta cōtemnere, cum inde potius tibi salutiferum pharmacū pro tuæ conscientiæ quiete ac tranquillitate sumendū erat. Bene uale.

VERITAS VINCIT.

De uera libertate Christiana & Euangelica.



ERVATOR NOster sanctus & benedictus Iudæis falso de libertate à patriarcha Abraham contracta gloriantibus, ueram originalis libertatis ostendit radicem & caussam, di-
Ioan.8. cens. Si filius uos liberauerit uere liberi eritis.

Quo uerbo declarat, primo solum Dei filium ex æterna sua genitura ueram fontalem & perfectam habere libertatem, quæ libertas regnum æterni patris est, cuius filius naturalis & legitimus hæres est.

Secundo in uerbo. uos liberauerit. innuit filium naturalem uelle fratres habere, non quidem naturales (hoc etenim impoßibile est in natura scilicet diuina plures esse filios naturales) adoptiuos autem, quos
Roma.8. & liberare & adoptare disposuit, ut sic sit ipse primogenitus in multis fratribus.

Duplex libertas uera scilicet & falsa.

Tertio, In uerbo. uere. duo intelligentiæ nostræ inculcat. Primũ est, duplex libertas. Vna uera, per uerbum, uere. Alia falsa aut umbratilis, sicuti umbra à re differt cuius umbra est. In umbra etenim non res ipsa

ſed rei imago quædam conſpicitur.

Quarto, in uerbo adiecto. liberi eritis. quatuor implicantur deſideratiſsima. Primum eſt. Ab omni ſeruitute ereptio. Secundum. Libertatis filij Dei ſimilitudo. Tertium. Regni eius participatio & communio. Quartum. Filij Dei cohæreditas. 1. Ioan. 3.

Itaq; breui uerbo prædicto, de uerbo prodeunte æterno quadruplex libertatis aſſignatur cauſſa. Prima efficiens, in uerbo. Si filius. Secunda materialis aut ſubiectiua. uos. Tertia, formalis ſiue exemplaris, quæ ad formalem reducitur, in uerbo. liberauerit. uti q; ad ſimilitudinem naturalis ſuæ libertatis. Quarta finalis conſummata in gloria beatitudo. In ea etenim ſola, uere, hoc eſt perfecte & conſummate liberi erunt, quos liberauerit filius. Quadruplex libertatis cauſſa.

Ex quibus omnibus infertur, quòd uera perfecta & conſummata libertas eſt uera beatitudo, aut in ea ſola reperitur. Vnde non mirum, quòd omnes libertatem appetunt, in qua non modica beatitudinis eſt imago & ſcintilla. Ob quod omnium una eſt uox. Redeat læta libertas, ſicut omnes uolumus eſſe beati.

Etſi in tractatu alio examen nouarum doctrinarũ nuncupato, ſub titulo de libertate Chriſtiana, nonnulla de hac perſtrinxerim materia, ſuccinctus tamen ad ulteriora progrediendã fui, quaſi per tranſcennam oſtendens materiam. Videtur autem expediens ut pa-

rumper liberiorē indulgeam calamo progreſſum, eo potiſsimum, quod libertatis appetitus nō minima modernæ ſeditionis radix eſt & cauſſa.

Diuiſio libri.

Occurrunt autē circa materiam hanc ſolertius rutinandam tria. Horū primum eſt, in quo libertas Chriſtiana uerſatur. Secundum, per quid in præſenti conſummatur. Tertiū, à quibus eius regnum infeſtatur. Primū per decem aſſertiones elucidabitur. Secundum per duas. Tertium clareſcet uiginti erroribus eliminatis.

QVO AD PRIMVM. ASSERTIO PRIMA

Quia libertas uera, res eſt cū generoſa, tum glorioſa, ab omni eo quod eius obfuſcat claritatem eſt defecanda, hæc ſunt libertates, umbram ueritatis habentes, re autem ipſa per diametrum ab ea diſiunctæ. Earum ergo uarietas, ne in æquiuoco operam & tempus ludamus, eſt induſtrie rimanda.

Prima libertas.

Sunt primo libertates nonnullæ à præſenti ſcrutatione ſelegandæ, harū prima eſt, à temporalium grauaminum, utpote tributorū, pedagiorum, cenſuū, redituū &c. exactione. Hæc, quia pure temporalis eſt, non eſt præſentis ſpeculationis.

Secunda libertas.

Secunda à corruptibilis carnis miſerijs, à quibus nec dei filius in ſubſtantia noſtræ carnis uoluit eſſe immunis.

munis. Nam in similitudinem carnis peccati uenit, no Roma. 8.
stras tolerans miserias, absq; peccato.

Tertia, *à seruitute humana iure gentium introdu* Tertia li-
cta, quæ libertate priuat ciuili & politica, de qua Pau bertas.
lus seruus uocatus es, nõ sit tibi curæ. Nam *ut alibi ait,* 1. Corin. 7.
Non *est seruus, neq; liber.* Nã *in Christo omnes unũ,* Gala. 3.
bona etenim seruitus & bona libertas æqua lance ap= Colos. 3.
penduntur.

Quarta, *à potestate roberciua.* Nam *& si per pec* Quarta li-
catum introducta sit, necessaria tamẽ est stãte hominũ bertas.
transgressione. Vnde Paulus. *omnis anima potestati=* Roma. 13.
bus sublimioribus subdita sit. Non *enim est potestas,*
nisi à Deo. *Vis autem non timere potestatem, fac bo=*
num & habebis laudem ex illa. Si autem feceris malũ,
time. Non *enim sine causa gladium portat,* Dei *enim*
minister est uindex in iram ei qui male agit. Ideoq; ne=
cessitate subiecti estote, non solum propter iram, sed
etiam propter conscientiam.

Quinta, *ab oppreßione tyrannica, quæ fit coactio* Quinta li
ne externa, hæc propter deum toleranda est. Tales *ete* bertas.
nim oppressores, executores sunt diuinæ sententiæ ad
electorũ suorum purgationem. Hoc *tamen intelliga=*
tur de his, quorum non interest eorum cohercere ty=
rannidem. Secus de potestatibus sublimioribus, qui=
bus propheta ait. Quærite iudiciũ, subuenite oppres=
so, iudicate pupillo, defendite uiduam. Hæ libertates Esa. 1.

à Christiana & Euangelica libertate sunt extrariæ, & ob hoc prætergrediendæ.

ASSERTIO SECVNDA.

Libertates communem Christianismũ respicientes omnibus Christianis debent esse communes.

Sexta libertas. Harum prima est à peccato originali, quæ caussa demeritoria & radix est omnium seruitutum oppressiuarum & captiuitatum. Hæc quo ad rationem offensæ & diuinæ iræ aboletur in baptismo. Omnes etenim

Ephe.2. nascimur filij iræ. Verum per mediatorem reconciliati, per baptismũ regeneramur ad uitã, ut simus mem-

Roma.8. bra eius. Nam nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu.

Septima libertas. Secũda, à peccato mortali actuali, de qua Saluator Qui facit peccatum, seruus est peccati. Et quod loqua-

Ioan.8. tur de mortali peccato, patet per uerba sequentia. Seruus autem nõ manet in domo in æternũ. Intelligit ergo de peccato quod à domo dei excludit. Hanc libertatem uerus & uiuus Christianismus necessario requirit.

Octaua libertas. Tertia, à coactione interna liberi arbitrij. Quod absolute loquendo à nemine potest cogi in eliciendo actũ sibi proprium. Vnde quantũlibet impellatur ad peccatum mortale, priuatiue per subtractionem gratiæ, aut positiue per impulsum fomitis, aut externũ incitatiuum, semper dicitur libere in malum consentire, & per cõsequens iustam damnationis incurrere sententiã.

Quarta,

Quarta à seruitute legis mosaicæ potißimum quo ad cærimonialia & iudicialia. Nam moralia legis mosaicæ spectant ad legē naturalem & diuinam. Pro hac libertate mirū in modū certauit sanctus Paulus in epistolis suis & prædicationibus, signanter in ea quæ ad Galathas scribitur, contra pseudapostolos qui in mosaicis traditionibus hærebant pertinacißime, quia enim figurales erant mysteriorum gratiæ & promissionum Christi, tanquàm umbræ cessare debebant ad ueniente ueritate. Vnde prædicator gentium, gentibus libertatē ab hoc onere graui & importabili euāgelizabat, constanter obiurgans & reuincens omnes contrarij assertores. Vnde & Petro oppositum simulanti in faciem restitit. Hæc in Epistola ad Galathas, infirma elementa & egena uocat. De his ad Colossenses ait. Nemo uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum quæ sunt umbra futurorum.

Nona seruitus. *Hebre. 10.* *Gala. 2.* *Colo. 2.*

Quinta, & à Christo & scriptura sacra principaliter intēta est libertas spiritus nostri ad diuina, de hac profusius infra.

Decima libertas.

ASSERTIO TERTIA.

Primus noster parens secundū carnem, libertates habuit nonnullas in statu suæ innocentiæ per præua-

ricationem sibi ablatas, & nunq̄ humano generi restitutas, Christo homine & eius gloriosa matre demptis.

Vndecima libertas. Harum prima fuit, à fomite, siue ut Apostolus uocat, a lege membrorum. Fuit etenim natura humana

Roma. 7. in primis parentibus ab omni inordinatione immunis, & hoc per iusticiam originalem, donum uidelicet diuinitus eis datum, quo perfecta quies & tranquillitas omnium uirium in homine erat sicuti in organo omnibus cannulis optime consonantibus. Hæc irretrastabiliter nobis in hæreditate peccati originalis nostris parentibus succedentibus est sublata.

XII. libertas. Secunda, à peccato etiam ueniali. Cum enim in primo homine mira harmonia omnia membra & omnes uires consonarent spiritui, & spiritus hominis spiritui diuino, nullum erat peccatum uel minimum. Hæc simili modo nobis est sublata, peccamus enim uenialiter uolentes nolentes. Vnde Paulus. Non quod uolo bo-

Roma. 7. num hoc ago, sed quod odio malum illud facio. Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuātem me in lege peccati. De hoc Beatus Ioannes. Si dixerimus, quia peccatum non ha-

1. Ioan. 1. bemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est.

XIII. libertas. Tertia à conscientia remordente, quia enim nullum habuit peccatum uel minimum, conscientiam habuit quietissimam. Hanc tam tranquillam, quia non sumus sine peccato, possidere non possumus. Cottidie tamen

men eam expurgamus confessione. Si enim confessi fu erimus peccata nostra, fidelis est & iustus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 1.Ioan.1.

Quarta, ab omni retardatiuo eleuationis & sursumactionis mentalis in Deum. Neq; enim pondere corporis premebatur, nec externo quopiam pellectiuo præpediebatur, quin summa libertate, puro uiatori possibili, citra uisionem gloriæ, in Deum ferretur, ipsum & in seipso et in suis effectibus contemplans et degustans. Hæc in tanta agilitate nobis est sublata. Corpus etenim quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantē XIIII. libertas. Sapien.9.

Supersunt sex libertates de quibus solers est faciendum scrutinium, uero & uiuo Christiano conueniant, an non. Prima est, ab obligatione legis diuinæ. Secunda, à conscientia remordente de peccato mortali præterito. Tertia, à lege humana. Quarta, ab obligatione legis humanæ in conscientia. Quinta, à lege uoluntarie assumpta, cuiusmodi est uotum. Sexta, à superioritate.

ASSERTIO QVARTA DE *lege diuina*

Nunquàm creatura intellectualis tanta libertate à Deo est ditata, ut esset ab omni legis diuinæ obligatione exempta, etiam præter legem æternam iustißimā, XV. libertas.

qua

qua creatura intellectualis tenetur Deum colere, & eius subijci maiestati. Nam ut de humana natura assertionem prosequar, Deus primis parentibus in statu innocentiæ legem pœnalem & cohertiuam præfixit obseruandam, dicens. De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quacunq; hora comederis ex eo, morte morieris. Ex quo consequitur, quòd uoluntas creata obliquabilis, esse non debet sine regula æqua, iusta, & inobliquabili, cuiusmodi est uoluntas diuina rectissima; quæ nobis innotescit per præcepta, prohibitiones, consilia & inspirationes. Cui omnis uoluntas creata conformari debet, ad hoc, ut recta & iusta sit, alioqui iniqua potiretur libertate. Cum enim à recto deuiare possit, nisi haberet regulam dirigentem, nec obliquitatem cognosceret, nec deuitaret. Vnde Apostolus. per legem, scilicet propalatam, cognitio peccati. Per eam autem obseruatam, eiusdem deuitatio. Apostolus etenim in hoc uerbo, unam solam caussam euulgatæ legis exprimit suo proposito quadrantem, cum alia sit potior & principaliter intenta, uidelicet rectificatio & conformatio uoluntatis creatæ ad uoluntatem diuinam ut inobliquabilem regulam.

Deus protoplastis legem pœnalem et cohercivam præfixit.

Gene. 2.

Voluntas creata obliquabilis indiget lege & regula,

Roma. 3.

ASSERTIO QVINTA DE CONscientia quoad peccata.

XVI. libertas.

Conscientia remordens hominem de peccato commisso, nunquam sine gratia Christi mediatoris & reconciliatoris

conciliatoris remediabitur, & ad pacem reducetur. Nimirum, cum ipse solus sit mediator dei & hominũ, in quo habemus redemptionẽ & remißionem peccatorum, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Cuius uirtutem & efficaciã duplici consequimur medio, ex parte quidem dei per gratiam. Nam per gratiam credimus saluari. Ex parte autem nostra, per fidem, cui specialiter adscribitur iustificatio, pro eo quod fundamentum salutis est. Vnde Paulus, *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad deum per dominum nostrũ* Iesum Christũ, *per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum dei.* Vtrunq; *cõplectitur idem* Apostolus *ad* Ephesios, *dicens*. Gra*tia saluati estis per fidem.* — 1.Timo. 2. / Colo. 1. / Actu. 15. / Roma. 5. / Ephe. 2.

Itaq; diuersis, nõ aduersis, iustificatio adscribitur. — *Diuersio adscribitur, prima uolũtati diuinæ.*

Primo, gratiæ diuinæ increatæ, quæ est uoluntas dei bona & beneplacens, tanquàm fontali omnis boni principio effectiuo.

Secundo dono gratiæ, quæ cõmuni Theologorum *sentẽtia ponitur ornatus deiformis in anima, quo anima per spiritum sanctum dedicatur, illustratur, & dignificatur, ut sit habitaculum & templum diuinitatis. Est equidem lumen quoddã ab increata luce manans,* — *Dono gratiæ. Gratia quid sit.*

& in=

& ineffabiliter animam pulchrificans, nec non in diuinam similitudinem adducens. De utraq; gratia uerificantur sacræ scripturæ dicta, quòd per gratiam saluamur & iustificamur.

Fidei. Tertio, fidei tanquàm salutis exordio, quo ad cognitiuam uirtutem ut dictum est.

Nomini Christi. Quarto, nomini domini nostri Iesu Christi, tanq̃ iustificationis impetratori & reconciliationis mediatori. Vnde Paulus. abluti estis, sanctificati estis, & iu-
1. Cor. 6. stificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi.

Spiritui sancto. Quinto, spiritui sancto, cui salutis nostræ opera appropriantur. Ideo Paulus post uerba modo recitata iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, subdit, & in spiritu dei nostri.

Operibus. Iacobi. 2. Sexto, operibus dicente Iacobo. Abraham nonne ex operibus iustificatus est, intelligatur ostensiue & cōsumatiue. Vnde subdit. uides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides cōsummata est, & infra, Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo & non ex fide tantū. Sicut enim corpus sine spiritu mortuū est, ita fides mortua est sine operibus, iu-
Iustificatio manifestatur per opera. stificatio etenim uitam præstat, quæ manifestatur per opera.

Cæterum adepta per iustificationem dei gratia, et expulso peccato ab anima, non statim conscientia fit serena & pacata, ad cuius serenationem super omnia,

implo-

implorãda est diuina gratia. Christo etenim imperan te uentis & mari feruenti fit tranquillitas magna. Mat. 8.

Secundario nihilominus quatuor exercitia mirum inmodum hanc promouent serenationem & tranquillitatem. Quatuor exercitia p motiua trã quillitatis conscientiæ fidei uidelicet.

Horum primum est exercitiũ fidei in promissa diuina. Etenim cum deus in utroq; instrumẽto uere contritis promiserit peccatorum remissionem in nouo potissimũ, cognito hoc per lumen fidei, debet conscientia firmiter in promissis tam certissimis hærere, & nequaquàm uacillare. Audit equidem deũ, per Ezechielem dicentem. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iusticiam uita uiuet & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Cæterũ nouum testamentum promissis his, tum in Euangelijs, tũ in apostolorum Epistolis, est refertissimum. Verum ubi fides modica, pusilla erit & adhæsio, & ex continenti pusilla serenitas inde originata. Eze. 18. & 33.

Secundum est exercitiũ spei in opulentissimã Christi passionem, ad hoc siquidem uenit dei filius in carnẽ passibilem, ut per passionem suam & preciosi sanguinis effusionem mundaret nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, quod nullibi non testatur scriptura. Esaias dicit. ipse uulneratus est propter iniquitates Spei Esa. 53.

nostras.

Ioan. 1. *nostras, attritus est propter scelera nostra. Sanctus* Io-
2. Thes. 2. *annes* Baptista. *Ecce agnus dei qui tollit peccata mun*
di. Paulus. Dominus *noster Iesus* Christus *dilexit nos,*
& dedit consolationem æternā & spem bonam in gra
1. Ioan. 2. *tia.* Iohannes in Canonica. *Si quis peccauerit aduocatū*
habemus apud patrem Iesum *Christum iustū, & ipse*
est propitiatio pro peccatis nostris. Nō *pro nostris au*
tem tantum, sed etiam pro totius mundi. Sanctus Pe-
1. Pet. 2. *trus. Christus peccata nostra pertulit in corpore suo*
super lignū, ut peccatis mortui iustitiæ uiuamus. His
omnibus & similibus, quibus scriptura prægnantissi
ma est, roborari spes debet, certo fidens peccata sua
per Christi passionem abolita quo ad culpam & pœ-
nam, culpæ mortali quadrantem, cuiusmodi est pœ-
na æterna. Cum hoc tamen stare potest obligatio ad sa
tisfactionem temporalem, de qua in alio tractabitur
Tractatu *de missæ sacrificio & purgatorio. Sufficit*
cōscientiæ, ad hoc ut serena sit, firmiter sperare offen
sam dei esse abolitam.

Charitatis feruor. Tertium. *Charitatis nostræ feruor in exuberantis*
simam Dei *in nos charitatem. Qua fit ut spiritus no-*
ster coniunctus spiritui diuino, & unus cum ipso effe
1. Corin. 6. *ctus, summa ad ipsum feratur fiducia, nedum de pec-*
catorum plena remissione, uerum quoq; de perpetuo
& indissolubili contubernio mutuo. Vnde Ioannes *in*
canonica sua. Deus *charitas est, & qui manet in chari*
tate,

tate, in deo manet & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum ut fiduciam habeamus in die iudicij. De indissolubili contubernio loquitur Paulus. Quis (inquiens) nos separabit à charitate Christi. Et infra. Certus sum quòd nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Ex quibus consequitur, quòd secũdum quãtitatem charitatis mensurabitur quantitas fiduciæ & fidei de peccatorum remissione. Ex cõsequenti & quãtitas serenationis & pacationis conscientiæ. Nam charitas omnia credit, omnia sperat.

Roma. 8.

Iuxta quantitatem charitatis mensuratur quãtitas fidei.

1. Corin. 13.

Quartum. Sacramentalis confessio & absolutio. quæ cum fundetur in certißimam & infallibilem Dei promißionem. Quorum remiseritis peccata remittũtur eis: sufficiens est, firmiter credita, quietare conscientiam de peccatis commißis, quòd facta confessione & absolutione bona fide remissa sint & abolita, quo ad offensam & pœnã offensæ quadrantem, ut sic dici possit à culpa & pœna liber. Et quia remedium hoc tam tutum & certum est, non parui æstimandum est, quin toto annisu complectendum, & ad ipsum post lapsum sitibundo affectu properandum sicut ceruus ad fontem aquarum, ut peccator hauriat de fonte hoc, aquas remißionis in gaudio. Fons etenim saluatoris est, & per consequens salutis.

Confessio

Matth. 20.

XVII. libertas.

ASSERTIO SEXTA DE lege humana.

Leges humanæ necessariæ sunt

Leges humanæ sunt necessariæ, non quidem per se & directe, sed quodammodo indirecte & per accidens, propter quinq; rationes.

Prima ratio.

Prima, Ad transgressionum commissarum punitiones, lex equidem noua mitissima est, & pœnas transgressoribus temporaliter infligendas non taxat, quia lex est amoris, qui ultroneus cōstituta custodit. Nihilominus multiplicatis transgressoribus, ob refrigeratam charitatē, expediebat rei publicæ punitiuas euulgare leges, quæ hoc ipso iustæ sunt, quia pro lege diuina, saltem forinsecus obseruanda, sunt constitutæ.

Secunda. Ad transgressiones futuras arcendas, ex eadem radice & caussa, ut quos timor Dei non arcet à uetitis, compescat rigor constitutæ legis.

Tertia. Ad pacem cōmunem inter fideles conseruandam, qua in terris dulcius & fœlicius nihil. Quæ stante maxima peruersorum numerositate. quia stultorum infinitus est numerus. conseruari sine pœnalibus & cohercivis legibus non potest.

Eccle. 1.

Quarta. Ad simplicium directionem. Nam et si leges diuinæ secundum intentionem legislatoris obseruatæ, sufficientes sunt ad salutem æternam consequendam, iuxta illud. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Sunt tamen regulæ generales iustitiæ & sanctitatis

Matth. 19.

Mādata dei sunt regu=

ex

ex quibus non quiuis in omnibus casibus particulari= bus seipsum potest resoluere, cum simplicium maior quàm eruditorum sit numerus. Vnde exigitur parti= cularis in singulis casibus, quantũ poßibile est, inter= pretatio, facta per eos qui ampliori sapientiæ & pru dentiæ, necnõ diuinæ gratiæ dotati sunt munere, ad di rigendum simplicium pedes in uiam pacis. Ex quo in= *fertur.* *le genera= les iusticiæ.*

Primo. *Quòd leges quantumlibet per hominẽ pro mulgatæ, quæ ex lege diuina, tanquàm ex scaturigine manant, sicut conclusio ex præmissis, non sunt pure hu manæ.* *Corollariũ primum.*

Secundo. Quòd leges per homines cõstitutæ, ad pu riorem diuinæ legis obseruantiam per se ordinatæ, nõ sunt pure humanæ. Sicut ea quæ sunt ad finem, naturã finis sortiuntur, & ab eo bonitatem contrahunt. *Secundum*

Tertio. *Omnes leges à quibuscunq; cuulgatæ, à ma lo retrahentes, & ad bonũ promouentes, à bono p in cipio emanasse sunt iudicãdæ. Quia bonus effectus, in bonam reduci debet caussam. Neq; enim arbor ma la, fructus bonos potest facere.* Matth. 7.

Quarto. Nulla talium legum censeri debet tradi= tio humana, à scriptura diuina reprobata. Quin o= mnes præfatas lex diuina in usum & adminiculum si= bi uendicat.

Quinto, Constituendarum legum caussa est præpa ratio ad bonum, saltem remota. Cum enim renunciatur impietati, asciscitur uirtus, etiã paulatim homo assuescit ad meliora, coaptaturq; ad spiritus sancti unctionem. Nam & deus de communi lege idoneitatem ad gratiam suscipiendam expedit in homine.

Consectarium.

Infertur ex dictis, quod auctoritates diuinæ scripturæ contra traditiones humanas produci solitæ, nullam dictarum constitutionum, quantũlibet in diuinis uoluminibus non expressarum, expungunt. Extermi nant etenim repugnantia non consonantia, nisi superstitiose obseruarentur, aut quapiam mala circumstantiá deprauarentur. Verum hoc est legibus ipsis per accidẽs. Igitur ad sensum præfatum omnes auctoritates huiusmodi scripturæ diuinæ sunt interpretandæ.

Prima auctoritas. Mat. 15.

Harum prima, quæ potißimum uentilatur, est in Matthæo. Nõ quod intrat in os coinquinat hominẽ. Ex qua plurimæ contra constitutiones humanas illationes & conclusiones falsæ eliciuntur. Contra ieiunium, cõtra Ecclesiasticas & omnes monasticas constitutiones quantumuis bonas & minime superstitiosas. Contra omnes doctrinas & usus in ciborum differentia. Contra totum monasticum institutum, & uniuersaliter cõtra omnia in scriptura diuina non expreßa. Sed ponde ra chare lector circumstantias uerbi præfati, & dicẽdi caußas. Caußa fuit temerarium scribarum & pha

Caussa uerbi saluatoris.

risæorum

risæorum iudicium, quo contra charitatem iudicabāt discipulos de transgreßione traditionis seniorum tanquàm de graui crimine. Sed & ipsum magistrum tanquàm transgreßionis dißimulatorem. Cōstitutio proinde in se considerata nō erat moralis, sed quædam ciuilis urbanitas, utpote manuum lotio ante refectionem, unde obseruata uel nō obseruata nihil faciebat ad bonitatem moris, nec tamē eam saluator in seipsam reprobauit, sed superstitiosam eius obseruantiam. Tum ex falsa opinione, nam putabant cibū per hoc fieri immundum, & ipsum cibum immundū cōmestum, contaminare animā peccato, Tum ob indiscretum & peruersum zelum. Magis enim pro hac & similium traditionum obseruantia zelabant, quàm pro obseruantia legis diuinæ. Immo legem diuinā propter eas faciebāt irritam. Ad hos eorū errores, superstitiones, temeraria iudicia, & præsumptiones cōfutādas, saluator præfatum protulit uerbū, & tales eneruauit traditiones. Vnde ad cōstitutiones pias, rationabiles, proficuas & salubres conuellendas, adduci poßunt minime. Idem dicendum de alijs diuinæ scripturæ locis, quæ ad hoc propositum adducuntur persuadendum. Ciuilis urbanitas.

Sunt itaq; leges pure humanæ. Primo, quæ nullo præfatorum modorū legi adminiculantur diuinæ, sed sunt quædam urbanitates inter homines pro honestate ciuili constitutæ, uel ad finem pure temporalem ordinatæ per se & directæ. Leges pure humanæ sunt.

Secundo, Quæ per se oppugnant leges diuinas & earum continentiam atq; uirtutem, has saluator exterminari & damnari iußit. De quibus ait. Irritum fecistis mandatum dei propter traditiones uestras.

Mat. 15.

Tertio. Quæ etsi per se bonæ sunt & utiles, in eo tamen casu quo legem oppugnarent diuinam per accidens, non essent obseruandæ, & libertas Euangelica eas decerneret postergandas, non tamen uniuersaliter & radicitus conuellendas.

Gene. 8.

Quia igitur leges humanæ æque directiuæ atq; cohertiuæ præfatis ex caußis, stante hominum ad malū pronitate, necessariæ sunt, nequaquàm libertas Christiana eas explodit, quin in adminiculū, ne in abusum uergat, assumit. Neq; enim quippiam, tum à malo retrahens, tum ad bonum promouens extundit.

Decima octaua libertas.

ASSERTIO SEPTIMA DE obligatiōe legis humanæ in cōscientia.

Huius materiæ pertractatio odiosa est plurimum. Duæ etenim opiniones circa eam reuersantur ex diametro pugnantes. Nam quidam affirmant constitutiones humanas, ecclesiasticas signanter, sub pœna æterna obligatorias. Alij omnes penitus cōstitutiones tales floccipendunt, asserentes nullum hominem posse uel minimum statutulum in hominem decernere Christianum, ipso non consenciente. En duo extrema, quis inter hos

ter hos scopulos tutus incedet? Si scopuli hi torrentium inclinarentur filijs Israel, per eos pateret processus. Quonam igitur pacto intricatus hic dissoluetur nodus sine utriusq; partis læsura? In medio equidem laqueorum perambulandum est. Attamen diuina implorata ueritate solers adhibendum est studium, eo præsertim quod libertas hæc conscientiæ siue libertatis huius appetitus in humanis instiutis, non minimum modernæ seditionis præstitit incentiuum. Placet autem inquisitiua magis quàm diffinitiua uel assertiua procedere uia, ne temere præcipitetur sententia. *Placet magis uia inquisitiua quàm diffinitiua procedere.*

Siquidem cũ eandem materiã in alio scripto, scrutinium scripturarũ nuncupato, conatu decimo, indagine decimaoctaua uel acu tetigerim, nõ omnes sensum meum æqua appenderunt lance, zelum pro cõstitutionibus humanis prætendentes, sed utinam secundũ scientiam, quorum, sicut & contrariæ partis, libranda sunt motiua. Et quidem circa leges pure humanas, de quibus assertione præcedenti est dictum, non apparet difficultas. Tales nanq; non ordinantur ad finẽ supernaturalem, sed ad politicam uel œconomicam uitam. Porro quoad legem diuinam proprie dictam, & ea quæ necessaria cõsequentia sequuntur ex ea, similimodo non controuertitur, cum liquidum sit ea ligare in cõscientia. Cæterum de medijs agitur cõtrouersia, de his uidelicet, quæ non sunt pure de lege diuina, nec pure *Animaduerte scopũ huius librũ*

de lege humana utpote quia participant quippiam de utraq;.

Ciuilia instituta. Vt autem ad particularia descendamus, De primo genere sunt omnia instituta ciuilia politicam uitam cõcernẽcia, sunt imperialia uel municipalia in nullo salutem æternam animæ per se concernentia, horum transgreßioni per se debetur pœna temporalis, sicuti & tẽporalia sunt.

Præcepta decalogi. Mat. 22. Lu. 10. De secundo genere sunt præcepta decalogi, quæ saluator ad duo reduxit, scilicet, Diliges dominũ deũ tuum ex toto corde tuo &c. & proximũ tuum sicut te ipsum. Vnde subdit, in his duobus mandatis omnis lex pendet & Prophetæ. Sunt & de eodẽ omnia quæ necessario ex his inferuntur, ut conclusiones particulares ex principijs, Verbi gratia. Constituta est lex, ut in contractibus nullus proximum fraudet de medio iusti precij. Claret, quod non est lex pure humana, nec mixta ex humana & diuina, sed pure diuina. Quia cõclusio necessario sequens ex præcepto diliges proximum sicut teipsum. Et ut ait Saluator. Omnia quæ uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Equidem in contractibus nullus fraudari notabiliter de iusto precio uult eadẽ ergo mensura metiri debet proximo.

Nota exemplũ de contractibus.

Mat. 7.

Constitutiones Ecclesiasticæ ut ieiuniũ &c. De tertio genere sunt constitutiones ecclesiasticæ, quæ etsi non necessaria consequentia ex lege inferuntur diuina, habent tamen in ea radicem, uel ad eam pu

rius

prius obseruandam ordinantur. Cuiusmodi est constitutio de ieiunio ecclesiastico. Nam non est proprie de decreto legis diuinæ, nec pure de constitutione humana sola, sed aliquid participat de utroq;. Equidem radicē in Euangelio habet ex Christi exemplo, eiusq; doctrina. Docet equidem ieiunium à Deo patre remunerandum. dum ait. Cum autem ieiunas, unge caput tuum & faciem tuam laua, & pater tuus qui uidet in abscondito reddet tibi. Prædicitq; discipulos suos ieiunaturos dicens. Cū auferetur ab eis sponsus tunc ieiunabunt. In primitiua quoq; ecclesia ieiunauerunt, nec solum radicem in Euangelio habet, sed & ad edomandam carnē & spiritum ad æterna subleuandum ordinatur. Neq; enim ieiunium, quæuis moderata abstinentia est, uerū species illius abstinentiæ communis est per additionē differentiæ. quo ad artitudinem abstinentiæ, ut sic ieiunium sit arta abstinentia, non ad corporis sanitatem, non ad uitam politicam, sed ad beatitudinem æternam facilius obtinendam ex se ordinata, per carnis crucifixionem & ueteris Adæ lasciui & lubrici mortificationem, Sicq; quo ad radicem & ultimum finem per se in ieiunio intentum Euangelio quadrat optime. Cæterum ecclesia circa illud determinauit tempus & modum, ciborumq; qualitatem.

Matth. 4.
Matth. 6.
Matth. 9.
ecclesia primitiua ieiunauit.
Ieiunium esse debet arcta abstinētia.

DE HIS INSTITVTIS MEDIVM tenentibus, Sit prima indago.

Ecclesia authoritatem habet condendi statuta.

Ecclesia authoritatem accepit à Christo salubria condendi instituta, diuinum cultum ad Dei gloriam promouentia, communionem, pacem, & fidelium concordiam conseruantia & procurātia, ex charitate dei & proximi manantia, & ad eam fouendam & exaugendam excitantia, & uniuersaliter quomodolibet ad bonum ecclesiæ & fidelium prouidendum, conseruandum & confouendum ordinata, modo in seipsis nullā contineant iniquitatem uel impietatem, aut contra diuinam scripturam repugnantiam. Hæc potestas ex alia manat potestate, uidelicet regiminis. Equidem ecclesiæ regimen expetit salubrem subditorum directionem, nihilominus & discretam cohertionem. Ad quæ plurimum discreta adminiculantur instituta particularia. Habemus quidem saluberrima instituta Euangelica. Verum generales regulæ sunt, per quarum fructuosa administratione plures expetuntur interpretationes particulares, paruulis potissimum & minus institutis, quorum cumulatior est numerus. Sic sanctus Paulus rectores ecclesiæ exhortatur dicens. Attendite uobis et uniuerso gregi, in quo uos spiritussanctus posuit Episcopos regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Cum ergo inferiores obedire superioribus debeāt, nil refert, uiua uoce aliquod imperetur bonū, aut constitutione scripta. Ad hoc facit sapientis dictū in persona æternæ sapientiæ. Per me reges regnant,

Regimē ecclesiæ expetit discretā cohertionē subditorū.

Act. 20.

Nil refert uiua uoce uel scripto imperare.

&

& conditores legum iusta decernunt. Alibi quoq;. Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Hac potestate usum est primum Conciliũ *Hierosolomitanum in spiritu sancto legittime congregatum, legem* Mosaicam, *quo ad propria illius legis, abrogatam decernens, constituensq; legem ut gentiles conuersi ad fidem, abstineant à suffocato & sanguine, quòd ex lege diuina non erat illicitum declarata ab rogatione.* Prouer. 8. Prouerb. 1. Concilium Hierosolomitanum. Act. 15.

INDAGO SECVNDA

Instituta ecclesiastica, præfata authoritate facta, expetunt in subditis obligationem, tum suscipiẽdi, tũ obseruandi. Nimirum, cum correlatiuam adinuicẽ habeant quadraturam. Ad quid enim obsequeretur statuendi facultas, nisi statuta ligarent. Frustra etenim in eum statuitur lex, in quem nulla habetur cohercíua iurisdictio. Porro ubi regendi potestas, ibi cohercíua iurisdictio, stante hominum ad malũ pronitate. Vbi autem cohercíua iurisdictio, ibi facultas pœnalem constituendi legem, ad edificationem, non ad destructionem Et ubi hæc facultas constituendi, ibi potestas pœnam taxatam transgressori infligendi. Nam ridiculum uidetur, mandare sub pœna, quam transgressori infligere nequeas, si non diuinum, sed humanum est mandatum Gene. 8. 2. Cori. 10.

INDAGO TERTIA

Institutionum humanarũ transgressioni per se nõ

debetur

Transgressioni humanæ constitutionis per se nō debetur pœna æterna. probatur primo authoritate dei.

Ezech.18.
Deut.32.
Math.19.

Præcepta secundæ tabulæ.

debetur pœna æterna. Hæc duplici probatur uia, uidelicet authoritatum & rationum.

Primo, authoritate Dei per Ezechielem inquiētis. Omnes animæ meæ sunt, ut anima patris mea est, ita & filij. Ergo nulla creatura per se & directe iurisdictionem habet in animam hominis, quo ad uitam & mortem. Ad hoc est illud Deuteronomij. Ego occidā & uiuificabo. Cooperatur quod saluator ait adolescēti. Si uis ad uitam ingredi serua mandata. Illi inquirēti. Quæ? Respondit. Nō facies homicidiū. Non cōmittes adulteriū. Non facies furtum. Non falsum dices testimonium. Honora patrem & matrem, & diliges proximum tuum sicut teipsum. En sola præcepta recitauit secundæ tabulæ, quæ utiq; præcepta primæ tabulæ implicant & præsupponūt. Quæro abs te. Responsio saluatoris est ne sufficiens ad propositam adolescentis interrogationem, an non?

Si non? Non satisfecit inquirenti, nec eum plene de necessarijs ad salutem instruxit. Et per consequens doctrina sua est diminuta, q nullus fidelis asseuerat.

Si sic? Cum nullam de constitutionibus humanis fecerit mentionem, infertur, quòd earum obseruantia non sit necessaria simpliciter ad æternæ uitæ assecutionem, cū per obseruantiā decalogi poßit fidelis uitā cōsequi, & per consequens æternā euadere pœnam. Accedit ad hoc & illud saluatoris nostri dictū, recitatis duobus magnis mandatis legis de charitate dei & proximi

ximi. In his duobus pendet omnis lex & Prophetæ. Si omnis lex in his pendet, pendebit & omnis constitutio iusta à quocunq; lata, ut his duobus seruatis, sit salus & gloria. Potest autem dari casus, ut quis in constitutionem humanam offendat, illæsa Dei & proximi charitate, de quo latius infra. Incurret ergo talis, tuo iudicio, pœnam æternam, & nihilominus habet uitã animæ, quia gratiam & charitatem, quæ ex diuino decreto sunt incompatibilia. Mat. 22.

ALIA VIA RATIONVM

Ratione probatur, Primo sic. Homo nõ debet nec potest aliquid statuere tanq̃ necessarium ad assequendam beatitudinem, quo uidelicet non seruato, non possit homo beatificari. Nam hoc solius diuinæ uirtutis et potentiæ uidetur. Vt sicut solus potest hominem beatificare, sic solus sibi potest necessaria beatificatõis media præfigere, sicut fecit in lege diuina proprie dicta. Alioqui lex diuina esset ad beatitudinem insufficiens & diminuta, quod asserere, uidetur blasphemia. Ex quo processu infertur, quòd solus potest sub pœna æternæ damnationis imperare, & legem statuere. Nam pari passu, quo ad hoc, ambulant, damnatio & glorificatio, quia utraq; soli uirtuti diuinæ subest, & quo ad legalem comminationem, & quo ad comminationis executionem. Primo probatur ratione.

Secũdo, Pœna æterna debetur pctõ mortali, quòd originaliter cõsistit in actu animæ interiori, sup quem

nullus

nullus homo habet potestatem. Omne etenim humanum imperium circa exteriores uersatur actus per se & directe. Nã interni soli deo subsunt, in quibus etiam principaliter querenda est transgressio mortalis, & per consequens debitum pœnæ æternæ. Consequitur ex his, quòd per se & directe loquẽdo, pœna, quæ debetur transgressioni constitutionis humanæ, temporalis est non æterna. Porro de his, quæ sunt per accidens, non datur certa & infallibilis regula, de quibus infra suo loco dicetur.

Pœna transgreßioni cõstitutõis humanæ debita, temporalis est nõ æterna.

Tertio. Si transgreßioni cõstitutionis humanæ debetur ex se pœna æterna, nõ erit differentia inter pœnam transgressionis legis diuinæ, et eam quæ debetur legi humanæ. Nam erit una & eadem, quia gehenna & æterna priuatio beatitudinis, quod uidetur inconueniens.

Quarto. Leges humanæ sunt de his, sine quibus uita beata nancisci potest, quia de certis medijs ad finem assequendum accommodis, non tamen per se necessarijs, alioquin nullus unquàm potuisset ad beatitudinem sine eorum obseruãtia pertingere. Constat autẽ quod maximam partem humanarũ constitutionum non habuerunt in primitiua Ecclesia, & si quas habuerunt, paucißimæ erant, qui tamẽ beatitudinẽ sunt adepti.

Quinto. Transgreßio legis humanæ fieri potest citra charitatis læsionem, sine contemptu proprie dicto,

ĉto, ex sola fragilitate humana, utpote ex cōcupiscentia citra mortalē offensam in legem diuinam. Vt si quis soluat ieiunium constitutū, uictus sensuali auiditate cibi, alias deum timens & proximū diligens. Stante autem charitate, quàm directe præfata nō impugnat auiditas, stabit salus, nullus equidem damnatur charitatem habens.

Sexto. Cōditor legis humanæ crudelis esset censendus si transgressorem suæ legis intēderet, posito quod posset ad æternam obligare pœnā, quemadmodum si pater uel mater statueret filiū pro quauis puerili lasciuia uel insolentia iugulare, aut aquis præfocare, quasi ad eam edomandam, non sit contentus uirga aut quauis citra mortem pœna, quæ matris Ecclesiæ pietas, aut patris scilicet Prælati uel pastoris ouem errantem confestim mactare & excoriare? Non hoc exemplum pijssimus præstitit pastor noster Christus, absit tyrannis hæc à tam pijssimis parentibus, de quibus in excudendis constitutionibus præsumitur, quod spiritu regantur diuino.

Septimo. Si constitutiones humanæ ligant ad peccatum mortale per se, per consequens & ad pœnam æternam, an omnes sub hoc ligent uinculo, an quædā, aliæ uero non? Si primū, cum pœnæ sint super numerum multiplicatæ, erit intolerabilis sarcina, et summa fidelium perplexitas. Si secundum, cum nulla earum V. cōstitutio humana liget ad mortale peccatum.

sit

sit iuris diuini per se, de talibus enim loquimur, quis discernet aut decernet, quæ sub mortali ligent & quæ non? Forte autumas hoc plene in uoluntate consistere constituentis ut asserat. Volo quod huius decreti transgressor peccet mortaliter & damnetur. Et si hoc? Habebit utiq; homo mortalis cōstituens legem humanam imperium uitæ & mortis, & deus erit eius lictor, ut in Scrutinio succincte posui. Neq; enim alius poterit executiue pœnam infligere æternam, præter solū deum. Cæterum cū omnes constitutiones humanæ in hoc quod humanæ sunt, nullū habeant discrimen, etsi forte una maiorem accessum ad legem habeat diuinam, quàm alia, quia tamē nulla legis diuinæ per se censetur, nec obligationem legis diuinæ sortitur, infertur quòd omnes in obligando per se erunt pares, quo ad pœnæ æternitatem aut temporalitatem.

Deus optimus maximus nō erit lictor.

Octauo. Si ligant sub pœna æterna, & ex hoc earū obseruantia est ad salutem necessaria, infertur quod earum ignorantia nullum excusabit à peccato mortali. Nam in necessarijs ad salutem non admittitur ignorantiæ excusatio. Et sic omnes fideles adulti tenentur omnes ecclesiasticos scire constitutiones, & cuncti studio iuris humani non minus quàm diuini impēdere debent operam.

Ignorantia in necessarijs ad salutē non admittitur.

Nono. Salus fidelium erit incertißima, quia penè infinita media, tot uidelicet quot constitutiones, erunt

ad salutem necessaria, & nunquàm determinatus eorum taxabitur numerus, quia cras poterit nouum fabricari institutum, & sic in infinitum.

Decimo. Conditores humanarũ legum, nõ possunt earum obseruatores assecurare de præmio æterno, ergo nec transgressores ad pœnam decernere debent æternam, cum adinuicem esse debẽt quadrata. Nam misericordia primicias sibi uendicare debet, & ad eam est declinandũ. Nimirũ, cum & deus pronior ad miserandum quàm puniendum sit, ut non immerito precetur ecclesia. Deus cui proprium est misereri semper & parcere &c.

Deus pronior ad miserandũ q̃ puniendũ.

Vndecimo. Peruersi & contemptores per illam austeritatem non corriguntur nec emendantur, & soli simplices bonæ uoluntatis deũ timentes, & omne deuium in uia dei expauescentes, inuoluuntur & in conscientijs illaqueantur, qui tamen pocior Ecclesiæ pars sunt, & quos per pastores cõsolari & cõfortari oporteret, & non terroribus infernaliũ pœnarum exterreri. Sicut dominus conqueritur per Prophetam. Ve pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Et infra. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractũ est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cũ potẽtia, & dispersæ sunt oues meæ. Saluator quoq;

Eze. 38.

Mat. 23. alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea in humeris hominum. Nonne onus est grauißimum facere cõstitutionem humanam ad æternam pœnam
Mat. 11. obligantem? Cum econtra saluator dicat. Iugum meũ suaue est, & onus meum leue.

Duodecimo. Deus non uidetur uelle, quòd homo preter suæ legis transgreßionem, quacũq; constitutione humana ad pœnam obligetur æternam. Et si uoluntas diuina, originalis & primaria omniũ obligationũ caussa, nõ obligat nemo obligare potest. Quòd autem nõ uelit illam obligationem, ellicitur ex hoc, quòd nullibi in diuinis scripturis hãc patefecit, nec ratione probari potest, ad quod elucidandum interpretandæ sunt auctoritates, & soluendæ rationes hanc obligationem prætendentes. Solertius masticanda est hæc materia, quia humanarũ constitutionũ obligatio indiscreta, modernæ seditionis nõ minima caussa est. Sapientis adagi
Prouer. 30 um est. Qui uehementer emungit elicit sanguinem. Et
Eccle. 7. alio in loco ait, Noli esse iustus multũ, unde pro argumentorũ solutione, quarta est substituenda indago.

INDAGO QVARTA.

Argumentũ primũ. Contra præfatam sententiã, uidelicet quod cõstitutiões humanæ nõ ligent ad pœnã æternam, opponitur
Mat. 23. Primo dictũ saluatoris. Super cathedrã Mosi sederũt scribæ & pharisei, quæ dicunt uobis facite secundum opera aũt eorũ nolite facere, dicunt enim & nõ faci-

unt. Quo uerbo datur intelligi, quod eorum audienda est doctrina & opere adimplenda, quo ad agibilia, nō obstante quod ipsimet propriam non seruant doctrinam nec faciunt.

Dilutio.

Responsio. Verba Christi solertius sunt masticanda, & secundum literam circūstantem libranda. Neq; enim gratis ante illa uerba, Quæ dicunt uobis facite, præmisit. Super cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi. Cur enim illa uerba sunt præmissa, si nō habent colligantiam ad sequentia? Præterea cur saluator subiungit? Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominū, digito autē suo nolunt ea mouere. Audis hic, quod ipsi alligant hæc onera grauia, non deus. Ergo non sunt de lege diuina, onera hæc. Nec de his dicit. Quæ dicūt facite. Quin uocat grauia & importabilia. Itaq; ex passu illo saluator duplices scribarum & pharisæorum intelligere dat doctrinas. Quasdam ex lege uel cathreda Mosi, & hæc sunt doctrinæ diuinæ, quarū promulgatores ad populum erāt scribæ & pharisæi De quibus dicit. Quæ dicunt facite, non attento, quòd ipsi nō obseruant. Nam pastorum & doctorū transgressio, nō excusat à legis diuinæ obseruātia populum. Nōnullas à seipsis populo impositas promulgabant. Et harū quædam erāt ad diuinæ legis obseruantiam impertinentes, ut manuum lotio ante refectionem; quædam legem diuinā oppu-

Duplices sunt doctrinæ pharisæorū quædā ex cathedra Mosi.

gnabant, quæ saluator eis improperabat dicēs. Quare & uos transgredimini mandatum dei propter traditionem uestram? ut exemplificat de honore parentum; quo ad has doctrinas non sederunt super cathedram Mosi, sed contra, & in cathedræ subuersionem. Porro si docuissent ea quæ ad puriorem legis dei obseruantiam populū expediuissent & promouissent, & hoc cum debita descretione & quadrato pondere, neutiquàm eos saluator carpsisset.

Secundum argumētū. Luc. 10.

Secundo. Aliud eiusdem saluatoris dictū. Qui uos audit me audit. Et qui uos spernit me spernit, qui autē me spernit, spernit eum qui me misit. Quo uerbo li quide ostendit substitutos suos uicarios & pastores in doctrina eorū esse audiendos sicut seipsum, ut eorum spernens doctrinam Christū spernere iudicetur. Christum autem spernere, mortalis est criminis, ergo &c.

Dilutio. Duo ponderādá, tēpus & dicendi caussa.

Responsio. In uerbis saluatoris adductis iuxta textum ponderāda sunt duo. Primū est tempus quod erat quando discipulos ad prædicandum misit. Secundum dicendi causa, ne uidelicet eorū contemneretur doctrina, pro eo quod non eorum erat sed Christi. Prædicabant etenim quæ Christus iusserat, & quæ spiritussanctus eis inspirabat. Duo scilicet Euangelistis testibus. Dicitur enim in Luca. Misit eos prædicare regnū dei.

Lucæ. 9. Matth. 10. Lucæ. 10.

Et in Matt. Euntes prædicate dicātes, quia appropinquabit regnum cœlorū. Et iterum in Luca. Dicite illis appro=

appropinquabit in uos regnum Dei. In Marco quoq; dicitur. Exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent. Hæc itaq; duo prædicabant principaliter, uidelicet pœnitentiam & regnum cœlorum. Locupletantes ea uerbis per spiritumsanctum in ora eorum positis. Iuxta illud. Aperi os tuum & implebo illud. In quibus puri ministri fuerũt spiritussancti, & nuncij Christi. Porro si quidpiã de proprio adiecissent capite, in eo nec ministri, nec nuncij extitissent. Quia ergo ea quæ Christus iusserat et spiritussanctus inspirabat prædicabant, recte et merito eis saluator dicit. Qui uos audit, tanq̃ meos ministros præcones & nuncios, me audit. Eadem enim & uestra & mea est doctrina, ex cõsequenti. Qui uos spernit me spernit, & qui me spernit, meam doctrinam contemnendo, spernit eum qui me misit, quia doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me patris. Vides connexionem illam uerborum Christi ob doctrinæ idemptitatem esse factam. Idemptitatem inquam siue in forma, siue in uirtute & eminentia, ut locum non habeat, nisi in doctrina sacra, aut in his quæ ex ea manant, siue ad eam efficaciter implẽdã adminiculantur, facta tamen proporcionabili quadratura in ratione obligandi, ut in his quæ ex lege diuina obligant ad mortale, obligent etiam ad simile peccatum quæ ex eis manant necessaria consequentia, & quæ ad ipsa obseruanda sunt ordinata, sine quibus ob

Marci. 6.
Pœnitentiã & regnum cœlorum prædicabãt apostoli pricipaliter.
Psal. 80.
Ioan. 7.

seruari non possent. Non itaq; ad quasuis constitutiones ecclesiasticas etiam accomodas & proficuas, quo ad obligationem mortalis criminis & æternæ pœnæ, præfata trahenda sunt uerba.

Tertiū argumentum Matth. 18. Tertio. Adducitur illud Matth. Si ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Ex quo infertur, quòd non audiens ecclesiam peccat mortaliter quia potest excommunicari.

Dilutio Responsio. Ex textu clarum est, quòd saluator loquitur de correctione delinquentium, & de foro iudiciali, casu quo fraterna & secreta correctio fratrem non emendat, & delinquens est obstinatus & incorrigibilis. Vnde ad leges condendas & earum obligationem est impertinens.

Quartū argumentum Quarto. Consarcinantur authoritates plures ad eundem sensum persuadentes, & efficaciter ad obedientiam superioribus exhibendam inducentes, utpote dictum sancti Pauli ad Romanos. Roma. 13. Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autē resistunt ipsi, sibi damnationē acquirunt. Et ad Titum. Titum. 3. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire. Ad Thessalonicenses ait. 1. Thessa. 5 Rogamus uos ut noueritis eos qui laborāt inter uos & præsunt uobis, ut habeatis illos habundātius in charitate propter opus illorum, & charitatem habete

habete cũ illis. Et ad Hebraeos. Obedite praepositis ue- Hebrae. 13
stris et subiacete eis. Ipsi enim puigilant quasi rationẽ
reddituri, p animabus uestris. Beatus quoq; Petrus ait.
Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deũ, 1. Petri. 2.
siue regi quasi praecellenti, siue ducibus tanq̃ ab eo mis-
sis, ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorũ
quia sic est uoluntas dei.

Responsio. Ad haec dicendum primo, praesidentiae Dilutio pri-
& potestates in ecclesia militante, institutae sunt prin- ma.
cipaliter ad legem administrandam diuinam in subdi-
tos, sunt enim applicatores legum uniuersalium ad ca-
sus particulares & singulares. Vnde iudex non debet
de legibus, sed secundum leges iudicare praefixas.

Secundo. Authoritates allegatae & similes, si diuer- Secunda
sarijs adminiculo in materia essent praesenti, aeque cõ-
cluderent de legibus imperialibus & municipalibus,
atq; canonicis & ecclesiasticis. Sicq; omnes leges pro
sui obseruantia ad poenam ligarent aeternam.

Tertio. Ex allegatis & similibus efficaciter cõclu- Tertia
di non potest facultas cõdẽdi leges ad sensum nostrũ,
uidelicet sub poena aeterna, & hoc ex se, nam de his
quae per accidens & ex circũstantia fieri possunt, dis-
seremus postea. Vt enim superius est signatum, habẽ-
ti facultatem condendi legem, sufficere debet poena
quam & praefigere & infligere potest.

Quinto opponitur, quòd ecclesia primitiua, uide- Quintũ ar-
licet gumentum

licet Cōcilium Hierosolomitanum, fecit canones, ut habetur in Actis Apostolicis, quòd conuersi de gentilitate abstineant à suffocato & sanguine, ad quod alias ex nulla obligabantur lege. Ergo & modo potest canones fabricare, eádem fulta authoritate.

Dilutio prima. Respondendo, dico primo, falsum esse quòd alias ex nulla ad hoc obligabantur lege. Nam ex lege charitatis proximi tenebantur uitare id quod Iudæis erat scandali occasio, & impeditiuum conuersionis pluriū Iudæorum ad fidem, ex quo spectabant ad unam ecclesiam & unū corpus mysticū, & simul cohabitabāt.

Secunda Secūdo. Cum cōstitutio hæc in fauorem Iudæorum cū gētilibus cōuersis habitantium esset facta, si gētilis cōuersus in occulto comedißet suffocatū & sanguinē non uidetur quòd mortaliter peccasset, quia ratio instituti cessasset. Argumentū ad hoc est, quòd postero tempore cessante præfata caussa, cessauit & cōstitutio ipsa.

Tertia Tertio. Non est clarum ex textu, quòd ad hanc constitutionē obligabantur sub peccato mortali et æterna pœna, circumscripta lege diuina. Vnde admißo, quòd ecclesia uel cōciliū fabricare potuit et potest canones, nō īfertur efficaci cōsequētia, quòd ad pœnā æternā obligēt.

Sextū argumentum. 1. Theß. 4. 1. Corin. 11. Sexto, adducitur illud Pauli ad Thessa. Scitis, quæ præcepaa dederim uobis per dominum Iesum. Et ibidem. Cætera cum uenero disponam. Ad Corint. quoq; Sicut tradidi uobis præcepta mea tenetis; Ex quibus

& similibus infertur, q Apostolus fecit cõstitutiones & ordinationes. Igitur pari ratione & successores.

Ad hoc dicendum. Primo, quòd non est clarum, an ordinationes suæ ex Christo processerint, ut mandato re, an ex se ut pastore & doctore, ac bonorum omniũ fideli persuasore, cũ in præfata authoritate annectat, Scitis quæ præcepta dederim uobis, per dominum Iesum, quasi diceret, nõ per me, sed ex cõmißione domini, sicuti ad Corin. ait. Si quis uidetur ꝓpheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo uobis, quia domini sunt mandata. Secundo, quòd apostoli in epistolis quoq; suis non nulla tradiderunt, de quibus uerisimile non uidetur, quòd ad peccatũ ligent mortale, ut quod Paulus ait. Vir non debet uelare caput suum. Non decet mulierem non uelatam orare Deum, uir si comam nutriet, ignominia est illi. Cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi manducet. Si alij reuelatũ fuerit sedenti, prior taceat. Volo uiros orare in omni loco, leuantes puras manus. Similiter mulieres, in habitu ornato. Pleraq; in hũc modum, etiam usq; ad minima, ne quid inhonesti in cœtu conspiceretur aut ageretur fidelium.

Dilutio prima.

1. Corin. 14

Secunda

1. Corin. 11.

1. Corin. 14

1. Timo. 2.

Septimo ratione persuadetur propositum, Ecclesia accepit potestatem statuendi pro charitate Dei & proximi. Hæc potestas non prodesset, nisi statuta ligarent. Huius argumentationis maiorem supra concessi, minorem quoq; concedo. Ex quibus si infera

Septimum.

tur, ergo ligãt ad pœnã æternã, qualis cõsequẽtia? hoc statutũ ligat, ergo ligat ad pœnam æternã, quasi nulla a'ia sit pœna, nullũq; ligamen, nisi uinculi æterni in rebus ad salutem per se & simpliciter non necessarijs.

Octauum — Octauo. Apostoli hanc habuerunt potestatem ergo & eorum successores.

Dilutio — Responsio. Proba hanc potestatẽ ligandi ad pœnã æternã in apostolis præter id quod iuris diuini est, & cuius fuerũt nudi præcones fuerunt equidem promulgatores eorum quæ à Christo habuerunt, Vnde eisdem ait. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritussancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. (Matth. 28.)

Nonum argumentum — Nono. præcepta humanitus instituta, discrete & salubriter ordinata, conferunt & promouẽt ad æternæ beatitudinis consecutionem.

Dilutio — Responsio. Concedo assumptum, ex quo tamen non infertur, quòd ligãt ad mortale. Nam licet conferant, non sunt tamen media ex se necessaria ad beatitudinem assequendam, quin si ne illis obtineri posset.

Decimum — Decimo. Præcepta humana non sua uirtute ligant sed Deo uolente.

Dilutio — Responsio. Si sunt salubria, admitto. proba aũt q̃ uelit Deus ut sub pœna ligent æterna.

Vndecimũ — Vndecimo. Apostolus dicit. Qui resistit potestati, damnationem sibi acquirit. (Roma. 13.)

Dilutio — Responsio. Aliud est resistere potestati, aliud non obtemperare

obtemperare. Nam primũ est ceruicosi & contumacis. Secundũ potest ex fragilitate humana, uel qualicũq; leuitate contingere absq; cõtẽptu. Præterea quia potestas instituta est ad leges administrandũ diuinas, qui in tali ministerio potestati resistit, deo resistit & enormiter peccat. Vnde subdit Paulus. ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Dei enim minister est. Si dei minister est, administrat ea quæ dei sunt. Differunt resistere potestati & nõ obedire.

Duodecimo. Arguitur à simili. Cũ Ecclesia quempiam excõmunicat, deus eius sententiam ratificat, & illum iudicat excõmunicatum, secundum illud. Quæcũq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis. Ergo & inobedientem mandatis Ecclesiæ deus decernit plectendum morte æterna. Duodecimũ argumẽtũ à simili. Mat. 18.

Ad hoc dicendum primo, quod non est simile, pro eo quod excõmunicatio secũdum Euangeliũ & usum apostolicum, fertur super peccato enormi cõmisso, à quo fraterne correptus non uult resilire, & sic est cõtumax & scandalosus. Secus de ecclesiasticis institutis quorum transgressio esse potest sine omni contemptu uero, & contumatia aut scandalo. Dilutio prima. Secundo. Quod si in excõmunicatiõe quoq; error intercederet uel indiscretio, deus nõ approbaret sentenciã iniuste uel indebite latam. Minus quando ecclesia uult ligare ad pœnam æternam, in materia per se ad salutem nõ necessaria. Secunda.

Tercia. ſaria. Tertio. Poſſum conſequẽs admittere in his, quæ ſunt legis diuinæ, in talibus etenim eccleſiæ inobediẽs mulctatur pœna æterna, quia deo eſt inobediens, cũ idem ſit decretum dei & eccleſiæ; Dei quidem ut decernentis, eccleſiæ uero ut exequentis.

Tredecimũ argumentũ. Tredecimo. Non uacat culpa quo in id peccatur, quòd æternæ conſonat legi, à qua & deriuatur. At omnis lex humana quatenus iuſta eſt, illi concordat. Nam (authore Auguſtino) in temporali lege nihil eſt iuſtum ac legittimum, quod nõ ex æterna homines ſibi deriuauerunt. Igitur omnis lex humana ad culpam obligat.

Auguſtinus

Dilutio prima. Reſpondeo primo. Hoc argumentum de omnibus legibus concluderet mortalem in earum tranſgreßione culpam & æternam pœnam. Neq; enim ulla lex imperialis uel municipalis iuſta cenſenda eſt, quæ nõ à lege æterna manat, eidem cõſonat uel in eam reduci poteſt. Sicut enim omne uerum omni uero conſonat, ſic omne bonum, omne iuſtum, omni bono, omni iuſto.

Secunda. Secundo. Admiſſo quod in tranſgreßione legis humanæ bene inſtitutæ, ſit quædam curuitas ab æquo & bono, non hoc ipſo conſentaneũ eſt omnem talem æterna mulctandam pœna, de qua agitur controuerſia.

Tertia. Tertio. Etſi lex diuina præceptiua obligat ad mortale peccatum, non infertur tamen ex hoc, quòd omne id ad mortale obliget, quod ex ea extrahi aut manare poteſt, niſi inferatur ex ea conſequentia neceßaria.

Sicut

Sicut non omnis ueritas, de fide proprie dicta, & ad salutem necessaria iudicatur, quæ ex articulis fidei extrahi potest qualicunq; consequentia.

Quartodecimo. *In naturalibus inferiora reguntur per superiora, ergo & in humanis inferiores à superioribus moueri per suam uoluntatem, ui auctoritatis diuinitus ordinatæ, necesse est. At mouere per rationem & uoluntatem est præcipere. Ergo par necessitas subditi utrisq;. Diuini aũt & naturalis iuris transgressio semper culpam habet annexam ergo &c.* *Decimum quartũ argumentum*

Dicendum primo ad quadraturam similitudinis, *quòd superiora nõ aliter influunt & inferiora regũt, quàm à naturæ conditore acceperunt, uirtutẽ etenim à deo eis cõmissam & collatam administrant. Vnde si per liberum arbitrium regerent inferiora, sicut angeli sancti, non nisi secundum dei imperiũ & leges à deo præfixas gubernarent. Sic deus humanæ naturæ leges præscripsit, quæ diuinæ nuncupantur, secũdum quas subditi dirigi & gubernari, & superiores regere & imperare debent, & hoc quo ad necessaria ad salutem æternam consequendam, & pœnam æternam euitandam.* *Dilutio prima.*

Secundo. Transgressio *diuini & naturalis iuris, omnium consensu, nuncupatur, quando directe et obiectaliter in legem diuinam & naturalem peccatũ cõmittitur. Vt adulterium directe legem diuinam, nõ mœchaberis, oppugnat.* Non *autem quando indirecte* *Secunda.*

&

& interpretatiue in legem diuinam reducitur. Vt po- te deus statuit superioribus subdi, superior instituit legem humanã, quam inferior transgreditur. Hic transgressor directe & obiectaliter non peccauit in legem diuinam, sed humanam. Indirecte tamen illam diuinã legem, uidelicet superioribus subdi, nõ seruauit. Quo modo omnes transgreßiones quarumcũq; legum bene & digeste constitutarum interpretarentur esse cõtra legem diuinã. Verum ad propositũ nostrum, semper remanet assertio illa probanda. Quod deus uelit hominem ad omnes leges humanas ad salutem util s & accomodas, non tamen necessarias esse sub pœna æterna obligatum. De qua geritur disceptatio.

Transgressio legis diuinæ, directa & indirecta.

Quintodecimo. Paulus ad Romanos, omnem potestatem à deo concedi docet. Perinde contendens deo non obedire, & ab eius potestate se subducere. Conuincitur ergo se potestati diuinæ subducere, qui maiorum præcepta, etiã præter contemptum, negligit. Eo enim ipso diuinæ potestatis ordinatiõi se subducit. Fieri autem nequit, ut quis citra dei offensam, apostolicũ præfaricetur præceptum, aut uoluntatis suæ prætergrediatur ordinationem.

Decimum quintũ argumentũ. Roma.13.

Responsio ad hanc obiectionem eadẽ est ut ad priorem. Cæterũ ex apostolo non habetur quod temporalis potestatis decretũ liget ad pœnam æternam, quin contrariũ, uidelicet ad temporalem tantũ, loquendo

Dilutio.

de decreto humano per se & in se cōsiderato. Subdit enim, si malū feceris time. Non enim sine causa gladiū portat. Dei enim minister est, uindex in irā ei qui malū agit. En loquitur de pœna quā potestas inferre potest, Et hæc est tēporalis. Sic & beatus Petrus ait. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter deū, siue regi quasi precellenti, siue ducibus tanquàm ab eo missis ad uindictam malefactorū, laudem uero bonorum. 1. Petri. 2.

Sextodecimo. Christus cōcessit sacerdotibus ligandi & soluendi potestatē, quæ utiq; diuina est. Inferunt etenim clauē mortis & inferni, prout dicitur in Apo. Hæc dicit sanctus & uerus qui habet clauē Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Si ergo hoc ministeriū cōpetere potest homini, cui suā delegauit potestatem, ut ea in alterū utatur hominē, poterit & potestatem homini conferre, ut cōstitutionis à se factæ transgressorem ad pœnam obliget æternam. Sedecimum argumentū Ioan. 20. Matt. 18. Apo. 3.

Ad hoc dicendū primo, quòd deus posset hanc potestatē conferre decernendo, quòd ecclesiastica & humana decreta æque ad pœnā æternā ligarent præuaricatorē atq; diuina, sed nō probatur factū. Secundo, quòd similitudo non urget. Equidē potestas prima ecclesiæ & membris eius est necessaria, non sic secunda. Potest enim consistere salus in diuinæ legis obseruantia, ex fide, spe & charitate celebrata, etiā si nulla esset constitutio humana. Claudicat quoq; similitudo Dilutio prima. Secunda.

in

in hoc, quòd potestas ecclesiastica non ligat per se & directe ad pœnam æternam, quæ soli mortali culpæ quadrat, uerius ligatum declarat, quo ad hanc pœnã. In proposito autem directe transgressorem ad æternã ligaret pœnam. Præterea, *prima potestas respicit præteritam culpam, à qua non uult resilire, aut præsentem contumatiam, quam rebellando ecclesiæ committit.* Vnde *ministerium primum congruit homini, non sic secundum.*

Decimumseptimum argumentum

Decimoseptimo. *Christianæ libertati nihil detrahit humanarum legum obligatio, alioqui præstabit penitus nil uouere.* Nam *uoti uinculum cum usq; ad forũ animæ se extendat, etiã illi præiudicabit libertati.* Nõ *ergo humanarum legum obligatio, sed ipsarum nimia multiplicatio torquenda est.* Nec *additur graue pondus ad onus* Euangelicum, *aut laquei inijciuntur animabus.* Non *enim onerare, nec illaqueare putandum est, quod non nisi quod bonum & iustum est præcipit, & ad diuinæ legis obseruantiam promouet.*

Dilutio

Responsio. *Grandis utiq; captiuitas, esse obligatũ in conscientia ad pœnam æternam circa ea quæ non sunt legis diuinæ, ad uoluntatem & decretum hominis in non necessarijs ad salutem per se.* Porro *obligatio uoti spontanea est, & fundamentum in iure diuino habet, de quo infra.* Cæterum *si humanarum legum obligatio ad pœnam æternam admittitur, non poterit limitari*

mitari multiplicatio, qua ratione una instituitur, eadē secunda, tertia, quarta, & consequenter in inmensum procedendo numerum. Quis autem dicere poterit non esse hanc multiplicationem sub tanta obligatione pondus graue, cum non modo corpus, sed & animam & spiritum premat? Quis proinde asseret in tot ac tantis obligationibus non esse conscientiarum laqueos? Quantumuis enim iustum & expediens uideatur quod hoc modo constituitur, non est tamen simpliciter secundum se ad salutem necessarium.

Decimo octauo, instatur motiuo uehementi, nisi hoc modo exaggerentur praecepta humanitus instituta, ut ad poenam transgressores ligent aeternam, uilipendio habebuntur & contemptui, in non paruam ecclesiae iacturam. Decimūoctauum argumentum.

Responsio. Sanctus Iob amicis suis quasi pro Deo zelantibus ait. Nunquid Deus indiget uestro mēdacio ut pro illo loquamini dolos? Nunquid faciem eius accipitis & pro Deo iudicare nitimini? Sic dicendū in proposita materia. Nulla caussa conscientiam & animarum salutem respiciens plus aequo est exaggeranda ut tormentorum formidine homines ad obseruantiam stimulentur. Neq; enim Deo gratum est quicquam solo poenarum obseruatur timore. Non haec est uia regia, ut terroribus fideles ad regnum adigantur coelorum, quin plerunq; peruicaces temporalem magis q̄ Dilutio Iob.13.

 aeternam

æternam formidant pœnam. Cæterum formido hæc non nisi pusillos animo premit, ob quos ad mitiorem amplius declinandum est partem, quàm ob contemptores ad seueriorem.

ASSERTIO OCTAVA

Supradicta omnia in assertione septima, indagine tertia & quarta, de obligatione legis humanæ quo ad conscientiam, dicta sunt & intelligenda de lege humana nihil habente de obligatione legis diuinæ, ut & supra non semel est expressum, & de ipsa lege humana secundum se considerata. Cæterum ponderatis circumstantijs transgreßionis legis humanæ, frequenter contingit peccare, nonnunquàm uenialiter, plærumq; mortaliter.

Prima circumstantia est peruersus animus

Harum prima est adducens peccatum. Peruersus in trãsgreßione animus deliberatus, quòd si etiam mortale peccatum esset, nihilominus contra humanam constitutionẽ faceret, & hic est contemptus præcepti humani in se.

Secunda cõtẽptus præcipientis.

Secunda, est contemptus præcipientis uel instituentis legem, utpote, quia Papa hanc condidit legem, ideo nolo eam seruare in eius contemptum & uilipendium.

Tertia scandalum proximi.

Tertia, Scandalum proximi, frequenter etenim cõtingit, quòd ex minoris præcepti transgreßione maius oritur scandalum, quàm ex transgreßione maioris Sicuti nostra tempestate esus carnium in quadragesima, &

mi, & sextis ferijs ac alijs diebus abstinentiæ, graue suscitauit in Germania scandalum in fraternæ charitatis & unitatis non modicam iacturam, propter quod tales à transgreßione legis diuinæ, utpote charitatis proximi, excusari neque int. Incidunt quoq; in uæ à Christo comminatum, ipso dicēte. Væ homini per quē scandalum uenit. Nam quamuis in se non connumeretur inter crimina enormia & grauiora contra legem Dei cōmißa, ob accedens tamen scandalum grauis est excessus, & à Deo graui pœna plectēdus. Nam offensæ contra charitatem ponderosiores sunt et Deo odibiles. Vnde Paulus. Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo mortuus est Christus. Et ad Corin. Sic aūt peccātes in fratres & percuciētes conscientiam eorum infirmā, in Christū peccatis, quapropter si esca scandalizat fratrem meū, nō manducabo carnē in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Scandalosum est, sextis ferijs uesci carnibus.

Mat. h. 18.

Offensæ cōtra charitatem grauiores sunt.

Roma. 14.

1. Corin. 8.

Quarta, detrimentum ecclesiæ. Nam ex constitutionum ecclesiasticarum utilium & salubrium transgreßione impuni, tota ecclesiæ cōtemptui habetur authoritas, etiam in maioribus, ut præsens testatur dies, cuius uilipendium in non modicam cedit animarum iacturam. Ob quod non sine omni offensa immunis erit apud Deum ecclesiasticæ institutionis transgressor, nisi rationabili & pia excusetur caussa.

Detrimentū ecclesiæ.

Quinta. Quinta. Pronitas ad aliam similem transgressionem uel grauiorem inde generata. Nam funiculus peccatorum crescit. Quiuis enim actus, sit uirtutis aut uicij ad similem disponit actum. Sicq; ex actibus transgressionum etiam minorũ institutorum, adgeneratur habitus & consuetudo, quae contemptum parit, unde ad grauiora perlabitur.

Sexta. Sexta. Corrputa & inordinata interna concupiscentia, ut cum quis ad constitutionis alicuius ecclesiasticae transgressionẽ, utpote ieiunij uel alterius, ex uehementi & effrenata cibi concupiscentia & uoluptate magis quàm excusabili fragilitate mouetur, secundum quantitatẽ enim concupiscentiae inordinatae ponderabit deus quantitatem culpae, & ex consequenti poenae, iuxta illud Deutero. Pro mensura delicti, erit

Deute. 25. & plagarum modus. Et illud Apocalypsis. quantum se

Apoca. 18. glorificauit & in delicijs fuit, tantum date ei de tormentis. Et hoc potissime locum habet in praeceptis negatiuis & prohibitiuis.

Septima. Clericus obmittens horas canonicas. Septima. Grande exercitij iniuncti salubris & boni fastidium, utpote, quia fastidit deum & omnia quae dei sunt. Vt (exempli gratia) clericus aut monasticus diuino cultui deputatus, ex nulla causa rationabili & excusatiua, sed solo diuinorum exercitiorum fastidio constitutas praetermittit orationes.

Octaua excusatio palliata. Octaua. Excusatio & palliatio erronea, ut transgredien-

gredientes aut prætermittentes cõstitutiones ecclesiæ prætextu libertatis Euangelicæ. Quibus non satis est instituta transgredi, sed & suam transgreßionẽ iustificare moliuntur, cauteriatam formando cõscientiam, ut sic euangelium fiat & sit impietatis & præsumptionis operculum. Verum cũ deus acceperit tempus, non secũdũ uisionem oculorũ iudicabit, nec secundũ auditũ auriũ arguet, nec fucis nostris confictis deludetur, sed iusticias iudicabit. Et dicet. Existimasti inique qd' ero tui similis, scilicet falsus & mendax, arguã te & statuã contra faciem tuam. Vnde ait apostolus. Nolite errare, deus non irridetur. Esa.11. Psal.79. Gal.6.

Nona. Cum constitutio ecclesiastica sufficiens habet in scriptura diuina fundamentum, & si non ex lege diuina obligatorium, ut est de ieiunio exemplificatum. Cum enim saluator exemplũ ieiunandi dederit, discipulos ieiunaturos post sponsi ablationem prædixerit, & ieiunium à patre cœlesti remunerandũ prædicauerit. Apostoli quoq; & fideles in primitiua ecclesia ieiunauerũt. Paulus nihilominus ad ipsum inducat dicens. In omnibus exhibeamus nosmetipsos in uigilijs, in ieiunijs, claret nõ esse inuentum humanum, aut super harenam ædificatum. Nona. Matth.4. Matth.9. Matth.6. Act.13.& 14. 2.Corin.6.

Decima. Inhonoratio & irreuerentia quæ in ecclesiasticorum institutorum transgreßiõe exhibetur matri ecclesiæ, contra illud Salomonis. Ne dimittas legẽ Decima, est irreuerẽtia Prouer.1.

matris tuæ. Reuerentia etenim & deuotio quā ad matrē nostrā sanctam ecclesiam gerere debemus, nisi simus degeneres filij, mouere quempiam debet ad ecclesiæ instituta humiliter amplectenda, nō habita quæstione uel respectu ad mortale obligent, an non Exemplo: *sunt* Rechabitæ, *qui ob patris sui Ionadab reuerentiā rigidißime eius seruauerunt instituta, ut uidelicet ipsi & filij eorū non biberent uinū usq; in sempiternū, nō ædificarent domū, non sererent sementem, non plantarent uineas nec haberent, sed in tabernaculis habitarent cūctis diebus uitæ ipsorū. Quæ utiq; grauia erāt & ex nulla alia obligabantur lege ad ea, nisi ob patris decretū. Tanta nihilominus constantia ea seruauerūt, ut &* Hieremiæ *prophetæ proponenti eis uinū ad bibendū non acquiescerent. Quorū deus deuotionē approbauit et remunerandā prænūciauit per* Hieremiā. *nuncupātur aūt ecclesiastica decreta, nō ea sola quæ per ecclesiā, uel cōcilia ecclesiā repræsentantia sunt instituta; sed & quæ cōmuni usu fideliū à longæuis temporibus sunt recepta & in practicam deducta, modo sint utilia & salubria.*

Exemplum Rechabitarum. Iere. 35.

XIX. libertas.

ASSERTIO NONA DE LIBERTATE *à lege uoluntarie assumpta, cuiusmodi est uotū.*

Quia materiā hanc in alijs scriptis, utpote scrutinio scripturarū, & replicis, Examine *quoq; nouarū doctrinarū, & de uita christiana pertractaui opulentißime demonstrando uotorū legem in nullo uere libertati*

Chri

christianæ obsistere. Ideo inpræsentiarū succinctè paucas annotatões de hac substituam, non minus ueras q̃ pusillanimibus monasticis confortandis cōsolatorias.

Harū prima est distinctio inter uota temporaria & perpetua quo ad diuinā exactionē. Nam temporaria, utpote peregrinatões ieiunia oratões &c. sunt in exigēdo strictioris iuris q̃ perpetua, quæ ad totā hominis uitā durant. Multo equidē mitius deus perpetuorū uotorū obseruantiā exigit q̃ temporariorū, attēta obseruantiæ diuturnitate & humana fragilitate, quæ deus in uotis pensat, qui laborem & dolorem considerat. Prima. Psal. 9.

Secūda annotatio. Vota perpetua de his sunt, quæ sunt & promouent ad finem. Vnde minoris ponderis sunt quàm finis, ex consequenti & minoris obligationis. Porro finis legis est dilectio siue charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, teste Paulo; et saluator asserit in præceptis charitatis omnem legē & prophetas pendere. Principalis igitur & artissima apud deum est obligatio ad Charitatem. Ad alia instituta obligatio libratur secundū quod plus uel minus, propinquius uel remotius, ad charitatem ordinantur, ut sic obligatio charitatis metrū sit & mensura omniū aliarū obligationum. Hunc ordinem inuertunt qui pro minorum institutorum transgressionibus magnam, & pro charitatis offensa pusillam aut nullam formant conscientiam. Secunda. 1. Timot. 1. Matth. 22.

Tertia

Tertia. Votorum perpetuorum obseruantia non ita rigide à diuina exigitur iusticia quemadmodum diuinorum praeceptorum. Ratio est syncera & bona in uouendo uoluntas, quae praeuenta per gratiam & inspirationem bonam, seipsam liberaliter obtulit Deo, in his quoq; quae deus obligatorie non imposuit. Vnde meretur apud Deum. Primo gratuitam uoti acceptationem, qua uoluntas & seipsam & suos actus quasi bonae arboris fructus Deo offert. Secundo, benignam in obseruando interpretationem. Quis enim hominũ aeque seuere à proximo suo liberaliter promissa exigit, atq; iuste debita & necessario soluenda. Tertio, misericordem in transgrediendo punitionem. Quarto, liberalem & uberem gratiae collationem, qua pia quae inspirauit uota, grata & sancta consummant obseruãtia. Quinto opulentissimam in patria remunerationem. Reddet enim filius hominis, in gloria sui patris unicuiq; secundum opera sua.

Matth. 16.

Quarta

Quarta. Monastici hoc ipso quòd plura alijs Christianis uouerunt non sunt in maiori periculo, modo de sit dolus & lata culpa. Haec ex priori manat, nam uberiori dotantur gratia, forciori fulciuntur uirtute ex alto concessa, misericordiori in transgressionibus plectuntur poena, & faciliori donantur indulgentia, & liberaliori remunerantur gloria, ab eo qui non solum interiorem fidem, spem, & charitatem, sed & exteri

orem

orem laborem & dolorem considerat. Reddet equidē secundū opera & interna & externa, ut patet in Euā gelio de ieiunio, oratione, & eleemosyna, ad quæ tria alia opera fructuosa reducuntur. Nam ea quæ respiciunt ipsum operantem, ad ieiunium, quæ Deum, ad orationem, quæ proximum, ad eleemosynā referūtur. Matth. 6.

Quinta. Transgreßio constitutionis regularis citra transgreßionem diuinæ legis non est faciliter iudicanda mortalis, si non interueniat cōtemptus proprie dictus, scandalum proximi, magna transgrediendi libido, aut peruicax incorrigibilitas. Hæc ex præcedentibus satis claret. Neq; enim leuis res est mortalis præuaricatio, cui æterna pœna, tanquàm merces propria & debita, quadrat. Cum & Deus pronior sit ad miserandum quàm ad condemnandum. Unde mirum uidetur, quo ducantur nonnulli zelo aut spiritu, qui plus æquo liberales ad condemnandum sunt, crebrius mortale iudicantes quod mortale non est, quasi præceps tale iudicium non militet contra legem charitatis. Noli esse iustus multum, ait sapiens. Ecclesi. 7.

Obijciet, in dubijs securior pars est tenēda. Respōsio. Admitto assumptum, sed quæro abs te, in constitutione ambigua, mortalis sit transgreßio, an non. Quæ est securior pars? an ea quæ declinat ad seueritatem, an quæ ad pietatem? ut secundum primam iudicetur mortalis, secūdum uero secundam solum uenialis, aut

etiam nulla Dei offensa secundum se, sed transgreßio, sola temporali pœna plectenda. Si ad primam accesseris, quomodo sententia tua charitati quadrabit æternæ? qua plærunq; damnabitur homo, & pœnæ fraternæ adiudicabitur in offenso deo. Quo pacto proinde consonabit Euangelio, quod pietatem prædicat? Et quis fructus, exacuere legem quæ per occasionem operatur iram? Ex qua per se considerata nullus fit melior sine Dei gratia. Cur acuitur gladius quo iugulari potest anima? Cæterum crebrius formatur conscientia ubi conscientia non est, quæ postea in transgreßione ædificat ad gehennam. Præterea timorati ex hoc amplius redduntur pusillanimes & perplexi, nec qui hoc intuitu solo abstinent à transgreßione, meliores efficiuntur, quia sola formidine æternæ pœnæ mouentur. Accenditur deniq; nonnunquàm ardentius transgrediendi affectus, eo quòd nitimur in uetitum. Vnde

Roma. 7. *Paulus. Peccatum accepta occasione per mandatū seduxit me, & per illud occidit, et inuētum est mihi mādatum quod erat ad uitam, hoc esse ad mortē. Hi sunt fructus rigidæ illius iusticiæ. Securior itaq; uia est ad eam declinare partē, ad quam Deus declinat, hoc est ad mitiorem, in caussa ambigua. Deus etenim quærit & expetit bonam uoluntatem, persequitur prauā, iniquam & impiam, tollerat nihilominus fragilem & infirmam.*

His autem

His autem obuiare uidetur uulgatum dictum, non usquequaq; refutandum. Bonarum mentium est etiam ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. Responsio. Bonarum (inquit) non discretarum, aut laudandarum, nōne error est agnoscere culpam, ubi culpa non est? defectus quoq; discretionis iudicij est culpam iudicare, ubi non est culpa, aut etiam nimium formidare. Trepidauerunt (inquit Psalmista) timore ubi non erat timor. Indicium tamen mentis bonæ est, utpote bonæ uoluntatis, bene uiuendi & recte agendi, & hæc est laudabilis, modo, debitis adornetur circumstantijs. Gregorius Psal. 52.

ASSERTIO DECIMA DE LIbertate à superioritate.

Libertas ab omni superioritate non competit statui naturæ lapsæ. Eget etenim homo, à sua innocentia primordiali destitutus, & per cōsequens in intellectu obtenebratus, in affectu deprauatus & in omnibus uiribus deordinatus, eget inquā instructione, quo ad uim cognitiuam, eget & regulatione, quo ad alias uires, ad quæ administranda necessaria est authoritas, ne contemnatur aut repudietur instruentis & dirigentis operositas. Hoc modo secūdum legem naturæ instituta est superioritas paternalis, quæ filijs & proli doctrinam disciplinā & sustentationē subministret. Secundum legem politicam constituti sunt potentatus, diuersis insignitis titulis. Secundum legem œconomicam, sunt pa XX. libertas.

tresfamilias, quibus domestica commissa est cura, secundum legem diuinam per spiritumsanctum constituti sunt præsidentes. De quibus Paulus ait loquens primum de Christo. Qui descendit ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut ad impleret oĩa. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uero Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem filij Dei in uirum perfectũ, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ex quibus uerbis claret, quòd sicut est in ecclesia uarietas donorum spiritussancti sic est & multiformitas ministeriorum, quæ uarietatem titulorum in ecclesiæ ministris adducit. Qui tituli ministrorũ quãto humiliores, tanto magis Euangelio conformes. Porro titulorum impositio accidẽtalis est officio, cuius ministerium si bene & salubriter executioni demandatur, non est nisi labor & dolor. Ad consummationem etenim sanctorum in ædificationem corporis Christi mystici, quod est ecclesia, est institutũ. Hoc est, ad ædificationem & non ad destructionem. Libertas igitur ab omni superioritate pro nullo statu naturæ lapsæ est asserenda.

Ephe. 4.

1. Corin. 10

Hæc de primo principali uidelicet, in quo libertas Christiana uersatur. Quo ad secũdũ scilicet per quid in præsenti

in præsenti consummatur, duæ sunt assertiones substi tuendæ, scilicet undecima & duodecima.

ASSERTIO. XI. SEX DISSERIT

Primum, in quo uera Euangelica & Christiana li bertas consistit essentialiter. Secundum, per quid obti netur. Tertium, quo mediante adipiscitur. Quartum qua lege regulatur. Quintum, quid efficit. Sextum, quid secum compatitur.

Quo ad primum. Cum Euãgelica perfectio sit sum ma uiatori possibilis, consequitur eam principaliter in ea hominis consistere parte, quæ summum in homine locum tenet. Hæc est spiritus, quam theologi partem hominis nuncupant superiorem, quam uirgo glorio= sissima ab inferiori distinxit, anima uidelicet, dum in deuotissimo suo cantico ait. Magnificat anima mea dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Paulus quoq; in tres partes hominem distinguẽs, Spiritum supremam esse ostẽdit, dum ait. Ipse autem Deus pacis sanctificet uos per omnia, ut integer spiri tus uester & anima & corpus sine querela in aduen= tu domini nostri Iesu Christi seruetur. Sanctificati= onem à spiritu incipiens, per quem à spiritu diui= no in animam & corpus deriuatur. Sicut ungen= tum in capite Aaron quod descendit in barbam. In oram quoq; uestimenti, ut per barbam anima, quia spiritui cohæret, & per oram, corpus intelligas,

Primum

1. Thess. 5.

Psal. 132.

Ex hoc

Ex hoc infertur consequenter, quòd & libertas euangelica perfectioni euangelicæ quadrans in solo spiritu est originaliter peruestiganda.

Secundum. Quo ad secundum. Libertas hæc per spiritum sanctum obtinetur effectiue. Neq; enim sola priuatio est seruitutis, sed donum dei positiuum fundamentaliter. Nihilominus ingens pro eius adeptione est impendenda solicitudo. Preciosus equidē thezaurus est, qui naturaliter ab omnibus appetitur.

Primum. Obtinetur itaq; ex parte nostra signanter per septem exercitia. Primum est, Studiosa peccatorum expurgatio, quæ cum præfata libertate ex diametro pugnant. Hoc fit per humilem defectuū recognitionem,
Secundum. & puram confeßionem. Secundum, Vigilans fomitis repreßio qui continuum seditionis agit incitamen-
Roma. 7. tum contra spiritum. Qui & per Paulū lex membrorum nuncupatur, contra legem mentis calcitrans:
Tertium. Tertium. Prouida carnis maceratio, de qua Paulus,
Roma. 12. Obsecro uos fratres per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem sanctam deo
Quartū. placentem, rationale obsequium uestrum. Quartum Rigida cupiditatis mortificatio, quæ potißime geritur in spiritu, charitatem oppugnans. Quintum iugis
Quintum. diuinæ legis meditatio, de qua propheta, beatū descri
Psal. 1. bens uirum, ait. In lege eius meditabitur die ac nocte.
Sextum. Sextum, bona uoluntas eodem dicente. In lege domini

uoluntas

uoluntas eius, ne legis studium sine implendi uoluntate, uideatur ad salutem sufficere. Septimum est, deuota & feruens oratio, dictorum omniũ impetratiua et consumatiua. Septimum.

Quo ad tercium. Obtinetur mediãte charitate, quod quatuor persuadetur motiuis. Primum est, quia ipsa est uirtus summa, quod Paulus testatur dum aliarum uirtutum ei adscribit opera dicens. Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat &c. Secundum. Ipsa diuidit inter filios regni & perditionis. Est etenim uestis nuptialis, qua qui caret foràs eijcitur. Vnde filios dei cõstituit, quos libertas cõsequitur, dicẽte saluatore, de tributi exactione. Ergo liberi sunt filij. Tertium, quia ipsa intime spir tui unit diuino. Nã totaliter spiritum creatum transformat in spiritum diuinũ, à quo hæc profluit libertas, adstipulante Paulo. Vbi spiritus domini, ibi libertas. Quo spiritu quicũq; aguntur, hi filij dei sunt. Et qui adhæret deo unus spiritus est. Accedit Iohannis attestatio. Deus charitas est, & qui manet in charitate in deo manet, & deus in eo. Summa etenim ad deum agglutinatio inter eas quæ consistunt in actu secundo, est per charitatem. Intimior equidem est unione, quæ est per cognitionem. Siquidem uis cognitiua, intus suscipiendo apprehendit obiectum. Appetitiua uero à seipsa egressa in ipsum intrat obiectum, intime se ei uniens, ut quo ad actum se=

Tertium. Primum. 1. Cor. 13. Secundum. Matth. 22. Matth. 17. Tertium. 2. Corin. 3. Roma. 8. 1. Corin. 6. 1. Ioan. 4. Vis cognitiua. Vis appetitiua.

eundum, uerius sit anima ubi amat, quàm ubi animat, dicente saluatore. Vbi est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Quartum motiuum sumitur ex contrario, scilicet cupiditate generaliter accepta, quæ est omnium malorũ radix, ex diametro charitatẽ oppugnans. quæ summã adducit seruitutem, quia peccatum, quod consequenter generat mortem. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Et ut Iacobus ait. Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Peccatum uero cũ consummatum fuerit, generat mortẽ. Igitur per oppositum charitas cupiditatis exterminatrix, ad summam prouehit libertatem.

Matth. 6.
Quartũ.
1. Timot. 6.
Ioan. 8.
Iaco. 1.
Quartum.
Qua lege euãgelica libertas regulatur.

Quo ad quartum. Libertas christiana, sicut mediante charitate obtinetur, sic legibus quoq; charitatis regulatur. Etenim eidem ex æquo quadrat. Ex quo infertur. Primo, quòd tanto uerior purior & perfectior est Christiana libertas, quanto magis est innixa charitati. Infertur secundo, quòd libertas à charitate Dei & proximi discrepans, nõ est euangelica aut Christiana libertas, sed terrena, animalis, aut diabolica. Talis est libertas, diuinæ legis scita posthergans, aut proximum scandalizans, siue quouis quæsito colore, detrimentum inferens.

Consectarium primũ.
Secundum.

Quintum.
Quid efficit euangelica libertas.

Quo ad quintum. Libertas Christiana & euangelica uera, regnum constituit cœleste & diuinum, ab omni

omni seruitute extraria & incompatibili selectum, idem cum regno existens coelico, differens solum secũdum perfectum & imperfectum. Quod & in oratione petimus dominica. Adueniat regnum tuum. Cuius regni incolæ, sunt ciues sanctorum & domestici dei. in quorũ cordibus charitas diffusa est per spiritũ sanctum, qui datus est eis. Ad quod proinde ius præstat fides, quæ corpori Christi membrum innectit, uerũ possessio & iuris executio charitati est reseruata, quæ perfectiori modo membra & adinuicem & ad caput nectit. Ephe. 2. Roma. 5.

Quo ad sextum. Libertas euangelica secum cõpatitur leges quaslibet, regnum suũ non infestantes. Vnde nullam legem iustam & saluti accommodam unde cũq; lata fuerit, explodit, modo iussis non obuiet diuinis. Tantæ etenim potestatis est, ut omnia quæ per se peccatum non implicant, in suum uendicet usum, teste Paulo. Diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Per se quidem sola lege regulatur charitatis, seruatu tum leuissima, tum dulcissima, quæ iugum domini suaue & onus eius leue efficit. Quia tamen ad hominem quoq; terrenum, & cuncta quæ in utrusq; hominis usum obueniunt suum protendit imperium, externis egebit adminiculis, & ad exteriorem hominem reformandum, & ad temporalia erga proximum administranda. Sextũ. Quid secũ compatitur Euangelica libertas. Roma. 8. Matth. 11.

ASSERTIO DVODECIMA DE *gradibus libertatis Christianæ & Euangelicæ.*

Sicut Christiana perfectio & Euangelica gradus habet perfectionales, sic et libertas, pari equidem ambulant passu, quo ad id potißimum, quod in libertate est positiuum. Nempe libertas aliquid priuat, & aliqd ponit uel includit, ut priuatio sit terminus à quo, positio uero terminus ad quem.

Terminus à quo. *Ioan.8.* *Quo ad terminum à quo, libertas priuationē peccati implicat. Nam qui facit peccatum, seruus est peccati. Hāc subsequitur priuatio à sequelis peccati, quæ sunt, uermis conscientiæ, pœna temporalis & æterna, & depressio intelligentiæ & uoluntatis ad inferiora. Hæ priuationes dant intelligere oppositas positiones, quæ sunt, Puritas & innocentia quo ad peccatū, tranquilla conscientia, illustrata intelligentia, & affectio depurata quo ad sequelas peccati. Hæc etenim ueram Euangelicam comitantur libertatem, quæ omnia, sicuti liquide constat, gradus maioritatis & minoritatis habent innexos. Nam amplior & restrictior est à peccato immunitas, serenior & minus serena conscientia Intelligētia magis & minus à phātasmatibus terrenis depurata, ex consequenti magis & minus diuinarum illustrationum capax. Voluntas quoq; ardentiori & minus ardenti charitatis incendio inflammata, ac per*

hoc

hoc, his gradibus magis & minus ad superna & diuina libera, cum tamen libertas hæc ad diuina, sit ab euãgelio & Christianismo principaliter intẽta, cui omnes aliæ adminiculantur libertates, & ad eam ordinãtur. Et quia inter omnia diuina charismata charitas opulentius spiritum agit in diuina, principalius libratur libertatis quantitas secundum quantitatem charitatis, ut ubi amplior & profusior fuerit charitas, opulentior sit & Christiana libertas.

Libertas euangelica principaliter libratur secũdũ quãtitatem charitatis.

DECLARATA PER SVPRADICTA Euangelicæ libertatis ueritate, superest succincto calamo perstringere errores circa eam occurrentes, ut luculentius ueritatis splendor eniteat, tenebris iuxta situatis, & hoc pro tertio principali. Infestatur equidem libertatis claritas per errorum tenebras. Horum primus est.

ERROR PRIMVS

Primus itaq; error eorũ est circa libertatem Christianam, qui eam ad corporalia & temporalia referunt. Cum ad suum dominatum & propria exercitia nulla re temporaria egeat, quippe quæ in spiritu con

ſiſtit & per ſe in ſpiritu agitur, tum ad Deum per fidem ſpem & charitatem, tum ad proximũ per opera fraternæ dilectionis, quæ geruntur in corde. Cuiuſmodi ſunt, ſyncerus affectus, cõpaßio, cõgratulatio, deuota pro proximo interceßio, quæ ſicut primaria ſunt, ſic ſunt & principalia. In his etenim exercitijs libertas ab omnibus corporalibus & temporarijs abſtrahit. Verum in progreſſu ad exteriorem hominem, cũ ille locis & temporibus alligatus ſit, egebit locis, temporibus, alijſq; plerıſq; rebus, ſine quibus is qui foris eſt homo, opera ſua debite & meritorie adminiſtrare nequit. Nec quidpiam reſpuit quod ſibi in cõmodũ & uſum uendicare poteſt. Huius erroris ſunt, qui libertatis Euangelicæ prætextu, ceruices ſuas à iugo cenſuum reddituum, pedagiorum, guidagiorum, talliarũ &c. excutere conantur, ob hoc molientes excitare ſeditiones & tumultus contra temporales poteſtates. Cuiuſmodi
Act. 5. *olim erat Iudas Galilæus in diebus profeßionis qui auertit populum poſt ſe, & ipſe perijt, & omnes quotquot conſenſerunt ei diſperſi ſunt. Aſſerebat etenim non eſſe Iudæis licitum dare cenſum Cæſari, pro eo quòd erant ſerui Dei altißimi, & per conſequens, eorũ iudicio, ab omni alia poteſtate exempti. Vnde ad Chriſtum capiendum in ſermone phariſæi conſilio inito,*
Matth. 22. *miſerunt ad eũ diſcipulos ſuos cum Herodianis hãc quæſtionem mouentes. Licet cenſum dari Cæſari an non.*

non. Quã Saluator breui dissoluit uerbo. Reddite (inquiẽs) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei Deo. Extrarium ergo est libertati Euãgelicæ et regno Christi per se, quicquid circa temporalia geritur.

ERROR SECVNDVS

Errant ex eadem radice, qui seruitutem corporalem & ciuilem, iure gentium introductam, conantur prætextu libertatis Christianæ & euangelicæ explodere, cum tamen in nullo sibi præiudicet, dicente Apostolo. Seruus uocatus es, non sit tibi curæ, sed & si potes fieri liber,, magis utere, qui enim in domino uocatus est seruus, libertus domini est. Et alibi. Non est Iudæus neq; Græcus, nõ est seruus neq; liber, nõ est masculus neq; fœmina. Omnes enim uos estis unũ in Christo Iesu. Conditiones etenim hæ & similes sunt à Christianismo extrariæ. Vnde bona libertas & bona seruitus apud Deum, æqua lance appenduntur.

1. Corin. 7.

Gala. 3.

ERROR TERTIVS

Errant proinde qui Christianismum à potestate cohercitiua liberum decernunt. Hoc quidem sustineri posset, si omnes Christiani perfecti essent, & solò diuino regerentur spiritu. Quod cum discrepet ab euãgelio, dicente saluatore. Necesse est ut ueniãt scandala. Et Salomon. Stultorum infinitus est numerus, cõsequẽs est necessarium esse potestatem in ecclesia à malo cohercitiuam per cõminationes & pœnas. Nõ enim sine caussa

Matt. 18.

Eccle. 1.

Roma.13. gladiũ portat (ait Apostolus) Dei etenim minister est uindex in irã ei qui malum agit. Quamdiu itaq; regnũ spiritus Christi non plene pacatum est, sed insolentia malorum & peruicatia molestatur, necessaria erit potestas & iurisdictio, quibus id reprimatur & ad iustitiæ normam deducatur, quod plene libertati & spiritus dominio aduersatur. Cuiusmodi sunt omnia quæ ex regno pullulãt cupiditatis. Hæc equidẽ duo regna perpetua gerunt bella, & ex diametro pugnant, teste

Gala.5. Apostolo. Caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut nõ quæcũq; uolueritis eadẽ faciatis, quorum unius uirtus, alterius defectio est. Quæ lucta tã diu durat, quo ad unum ipsorum plena pociatur uictoria, & libero triumphet dominatu. Spiritus itaq; ut carni præualeat stipendio conducit leges quaslibet ad certamen accõmodas. Conducit & potestatem, secundum leges præscriptas, à malo coherciuam.

ERROR QVARTVS

Errant præterea qui potestatis tyrannicæ iugum quouis modo poßibili excutere moliuntur, opinantes tyranni occisionem quomodolibet procurare ueneno uel gladio, licitam esse, bonũ cõmune pro caussa prætexentes. Hic error olim multo examine discussus & damnatus est. Nam à lege discrepat diuina, Non occi-

Exodi.20. des. Ab hoc non longe absunt qui papatum & episcopatus

patus tanquam potestates iniuste usurpatas & tyrannicas exterminandas censent. Quarum abusum Petrus *ferendum iudicat, dum ait, obediendum dominis non tantum bonis sed etiam discolis, modo ad peccatũ non impellant.* Neq; enim *probatum est, nec efficaciter probari potest ipsas potestates in seipsis consideratas, iniustas esse & non ferendas, quicquàm sit de usu siue abusu potestatis qui reformari debet, non quidem à quouis subdito, sed à potestate superiori ordinaria.* Nam *dæmones propellendi quidem sunt, sed non per alios dæmones, uerum per spiritum dei sanctum, ut sic adueniat regnũ dei, in quo ordinata sunt omnia, nec quisquàm usurpat in opere, quod non à deo accepit in munere.* 1.Pet.2.

ERROR QVINTVS.

Errant qui libero arbitrio tantum libertatis & potestatis tribuunt, ut sine speciali gratia dei omne peccatum mortale uitare posit, cōtra id quod saluator ait. *Sine me nihil potestis facere.* Et beatus Paulus. *Fiduciam talem habemus per* Christum *ad deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, tãquàm ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est.* Pari etenim *passu ambulant, uitare malum, & facere bonũ secundum proporcionatam quadraturã ad mortales & uitales actus referendo, morte uel uita dignos.* De hoc *uberius* Theologi *tractant, contra* Pelagianum *discepantes errorem.* Ioan 5. 2.Corint.3.

ERROR SEXTVS.

Errant e diuerso qui liberum arbitrium cogi posse putant. Circa quod uerborum horum cogi, trahi, impelli, & necessitari, pondera uirtutem Cogi equidem in materia præsenti qua de potentijs et earum agitur actibus, ex uirtute uerbi importat tam uehementem externæ causæ impulsum, ut uirtus naturalis intrinseca reluctari queat minime, sed eam in proprium exire actum necesse sit. Hoc uerbi intellectu, dicimus à nulla uirtute cogi posse liberum arbitrium, quo ad naturalem & proprium suum actum eliciendum. De natura etenim liberi arbitrij est, ut & uocabulum prænotat, ut libere & non coacte in suum exeat actum. Ad proprium itaq; actum qui electiuus est, à nulla cogi potest uirtute. Potest quidem uirtus diuina ei uolendi imprimere actũ, nolendiq;, sicuti in damnatis erit nolitio perpetua pœnæ, sed hic electiuus non erit. Porro trahi uiolentiam quidem sonat, sed eam & talem cui intrinsecus adminiculatur naturæ motus, iuxta illud. Trahit sua quenq; uoluptas. Vnde non absoluta, sed cõditionata est hæc uiolentia. Non dißimili modo liberũ impelli dicitur arbitrium, hoc excepto, quòd tractus ab intrinseco, impulsus ab extrinseco motiuo est. Cæterum in liberi arbitrij necessitatione, uiolentia quædã simul & libertas concurrunt, Hæc equidem solummodo respectu beatitudinis est, quam cognitam omnes necessario

Cogi quid sit.

Trahi quid sit.

Impelli.

Neceßitari

cessario appetunt, & nihilominus ex libertate & electione appreciantur. Omnes siquidē uolumus esse beati, nec quisquàm miseriam eligit in se consideratam.

ERROR SEPTIMVS.

Errant qui legem Mosaicam, quo ad propria illius legis, in lege noua obligatoriam asserunt, contra concilij Hierosolomitani decretum in Actis Apostolicis cō tentum, huius tenoris. Visum est spiritui sancto, & nobis nihil ultra imponere uobis oneris, quàm haec necessaria, ut abstineatis uos ab imolatis simulacrorum & suffocato, & sanguine, & fornicatione. Dictum est, quo ad propria illius legis cuiusmodi sunt iudicialia, & caerimonialia praecepta. Nam moralia sunt de lege naturae & diuina. Ad hunc accedunt errorem, qui caerimonijs in noua lege, bene quidem discrete et deuote institutis, plus tamen debito, & aequo tenacius inhaerent, malentes charitatis & uerae pietatis iacturā, quàm haec uel ad horam labefactari, hi in uae incidunt euāgelicum, dicente domino. Vae uobis scribae & pharisaei, hipocritae qui decimatis mentam & anetum & ciminum, & reliquistis quae grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem. Et ne putetur minores obseruaciūculas saluator postergare, adiecit, haec, scilicet maiora, oportuit facere, et illa, uidelicet minora, non obmittere. Vnde zelus praeditus debet esse scientia & discretiōe, ut quodq; pro suo libretur cōmodo

Act. 15.

Matth. 23.

& profectu ad ædificationẽ & nõ ad destructionem.

ERROR OCTAVVS.

Errant asserentes quod homo in uita præsenti tantũ & talem perfectiõis gradũ potest acquirere, quòd reddetur penitus inpeccabilis & amplius in gratia ꝓficere nõ ualebit. Hanc perfectionẽ uocant spiritũ libertatis. Hic error olim Beguardis et Beguinis impositus est, ut in Cle. de Hær. C. ad nostrũ cõtinetur. Qui Roma. 7. *à dictis beati Pauli discrepat asserẽtis in carne nostra legem consistere membrorũ, quam theologi fomitem nuncupant, repugnantem legi mentis & captiuantẽ* 1. Ioan. 1. *ipsum spiritũ in lege peccati. Ad hoc est testimoniũ Ioannis. Si dixerimus quia peccatũ nõ habemus nosipsos seducimus, & ueritas in nobis nõ est. Vnde oramus omnes, Peccatores te rogamus audi nos. Fomes etenim & lex membrorũ in carne ad malum stimulans nunꝗ̃ extinguitur (quãuis in nonnullis plurimũ sopiatur) nisi ex singularissima gratia, qualis creditur uirgini gloriosissimæ data. Libertas itaq; à fomite & ex consequẽti à peccato saltem ueniali, de communi lege nulli tribuitur. Iebusæus equidem hic in terra promissionis à deo dimittitur, ut discat Israël semper timere deũ, & exercitium præliandi iugi cõtinuet usu, ne ignauia tor-* Iob. 7. *peat. Nam militia est uita hominis super terram.*

ERROR NONVS.

Errant qui conscientias suas, suis quietare nituntur

cona=

conatibus, quibuslibet hoc satagant exercitijs, ibi gradum figendo, & non in Christum proficiscendo. Solus etenim spiritus Christi, captiuatam membri Christi conscientiam, libertate donat. Primum quidem ab operibus mortuis perpetratis, per sanguinem Christi ad seruiendum deo uiuenti. Hebræ.9. *Dehinc & pusillanimitate spiritus & tempestate, dum omnem suam spem & fiduciam principaliter in Christum & eius merita traijcit, in sua opera confidens minime, sciens opera sua* Psal. 54. *plurimis defectibus & imperfectionibus esse respersa, omnesq; suas iusticias esse, sicut pannum, menstruatas. Ob quod ea coràm deo patre non præsentat, nisi in meritis Christi, in quibus sperat ea acceptáda, cuius ipse membrum est.* Esaiæ.64. *Quo fit ut hæc ipsa sua opera non eum in desperationem mergunt, quin in Christo capite respiret in libertatem filiorum dei. Cæterum supposita pro fundamento hac in Christum fiducia, prætermittenda non sunt, quæ serenationem promouent conscientiæ, utpote confeßio, bona opera quibus certior redditur uocatio, Sacræ scripturæ lectio, feruens oratio, in lege domini iugis meditatio. &c.* 2.Pet.1.

ERROR DECIMVS.

Errant qui libertatem à legis diuinæ obligatione Christiano quantúlibet etiam iusto & perfecto prædicant, adducentes dictũ Pauli uerũ, sed nõ uere per eos ad hũc sensum interpretatũ. Per legem cognitio peccati, Roma.3.

cati, quasi lex nulli alteri usui subseruiat nisi cognitioni peccati. Adhibitur et illud eiusdem. Iusto nō est lex
1.Timo.1. *posita, sed quid secutus coniungit? Sequitur. Sed iniustis et nō subditis, impijs et peccatoribus sceleratis etc. Ex quibus uerbis colligitur, quòd de lege pœnali et coerciua loquitur, qua egent iustitiæ præuaricatores et contemptores. Iusto quoq; non est lex euulgata de necessitate. Per spiritum equidem sanctum in eorū habitantē cordibus, ad omne opus iustitiæ ultronei sunt,*
.Ioan. 2. *iuxta illud Iohannis. Non habetis necesse ut aliquis doceat uos sed sicut unctio eius docet uos de omnibus.*

ERROR VNDECIMVS.

Errant qui regnum spiritus sancti à regni aduersarijs infestatum, ab omni lege humana liberū asserunt,
Esa.28. *cum leges sint quædam ipsius munitiones et præsidia, in quibus et sub quibus securiores eius consistunt municipes, eo potißimum quod eam solam premunt partem, quæ fœdus percussit cum morte, regni insidiatricem, et cum inferno fecit pactum. Qua parte incola regni non iustus sed peccator est, Si ergo peccator est, legem ferat coerciuam necesse est. Si renuere satagit, desinat esse peccator. Porro iustus ea parte qua iustus est, supra legem coerciuam est, legem tamen directiuam et diuini beneplaciti indicatiuam non repudiat. Nam sibi oneri non est, sed honori.*

ERROR

ERROR DVODECIMVS

Errant qui asserunt leges humanas in conscientia nullo pacto nec per se nec per accidens esse obligatori as, contra id quod ait Apostolus loquens de temporali potestate. Dei minister est, uindex in iram ei qui malũ agit. Ideoq; necessitate subditi estote. Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, non quidẽ obligatoriæ sub pœna æterna sunt pro quanto humanæ sunt, quantumuis legi diuinæ sint consonæ, si nõ ex lege diuina obligatoria manant necessaria consequentia, ut est abũde ostensum supra. Veruntamẽ propter circumstantias in superioribus signatas, raro agitur contra eas sine omni offensa unde haberi debent in reuerentia, tum quia à ministris dei & eius locum tenẽtibus facta, tum quia persuadent bona & à malis auocant. si saltem iustæ sunt & saluti accõmodæ atq; circumstantijs debitis adornatæ, quod præsupponitur in hac materia, Roma.13.

ERROR DECIMVSTERTIVS

Errant qui regnum spiritus Christi & libertatem Christianam leges humanas libere assumptas euacuare aut expungere affirmant, Cuiusmodi sunt leges uotorum temporalium siue perpetuorum. Hic error supra & in alijs meis scriptis opulentissime est explosus.

ERROR DECIMVS QVARTVS

Errant

Errant qui hominem Christianum ab omni superi
oritate liberũ decernũt, pro ratione addacentes quia
Ephe.1. membrum Christi est, qui est caput totius ecclesiæ. Nõ
Colo.1. ergo aliud caput agnoscere debet in terris, ne mõstru
osus fiat, duobus apparens capitibus. Aduehunt & il=
Matth.23. lud saluatoris. Omnes uos fratres estis, & patrem noli
te uocare uobis super terram, unus est enim pater ue=
ster qui in cœlis est. Nec uocemini magistri, quia ma=
gister uester unus est Christus. Si inter Christianos nul
lus uocari debet pater aut magister, quæ superiorita=
tem important, primum quidem generationis, secun=
dum educationis & instructionis, à fortiori nec alij su
perioritatum tituli inter Christianos & à Christianis
debent recognosci, ut sic omnis superioritas in Chri=
stum traducatur. Verum ratio non cogit, nã caput sub
stitutum sub capite Christo, non ponit in numerum,
ut sint duo capita sed unum solum, quia unum officiũ
exercent regendi, uidelicet corpus, & influendi. Chri
stus quidem principaliter & auctoritatiue, superior
uero ministerialiter & executiue. Sicq; Christo prin=
cipali capiti nil dignitatis uel potestatis decerpitur,
per alicuius ministerialis capitis substitutionem. Non
ergo duo capita sunt, Christus & suus minister consti
tutus aliorum superior, in ueritate, in uirtute, in influ=
entia & actione. Totũ etenim in Christum transfundi
tur, quicquàm potestatis, quicquàm bonitatis aut uti
litatis

litatis ibi est & reperitur. Ad eundem sensum uerba Christi sunt referenda.

Praeterea solerter expēdendo textum circa antecedentia & consequentia uerbi, planè colligitur ex litera, quòd praefatis uerbis, titulorum ambitionem rescindit non rem & officium. Carpit etenim scribas & pharisaeos de ambitione, quòd amabant uocari ab hominibus Rabbi, subdens. Vos autē nolite uocari Rabbi. Non ait. Nolite esse Rabbi uel magistri, sed uocari, quod ad honoris ambitionem refertur. Deniq; subdit Qui maior est uestrum erit minister uester. Quo uerbo dat intelligere inter membra sua inaequalitatē, scilicet maioritatis & minoritatis, cuiusmod est in superiori & inferiori. Concludit quoq; hunc passum inductione ad humilitatem, dum ait. Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur, ut sic totus passus ad humilitatem affectus, non ad superioritatis officiū, inter mortales, necessarium, referatur. Hoc idē in alio loco dat intelligere, dum discipulorum contentionē de maioritate reprimit dicens. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici uocantur. Vos autem non sic. Sed qui maior est in uobis, fiat sicut minor, & qui praecessor est, sicut ministrator. En maiorem & praecessorem futurum inter discipulos denunciat, quae nomina ad internam sanctitatem nobis incognitam referri non possunt. Referuntur ergo Lucae. 22.

tur ergo ad externam preminentiam, quæ est per superioritatem de qua habita fuit disceptatio, & circa quam saluator salubrem dabat instructionem. Cæterũ nisi sint superioritates & inferioritates in ecclesia, nõ erit ordo externus in ea, qui tamen non modo ornatũ sed & cõmoditatis plurimum subministrat. Nam ornatus internus charismatũ & donorum spiritussancti, de quo propheta de ecclesia loquẽs, ait. Omnis glo

Psal. 44. ria eius filiæ regis abintus, soli deo cognitus est. Proinde subdit. Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato, circundata uarietate, Quo uerbo externũ notat decorẽ in amictus exterioris uarietate statuum & officiorum. Optanda profecto & uehementius exoptanda esset tanta in ecclesia perfectio, & in omnibus eius membris, ut nulla inter fideles necessaria esset prælatio,

Ioan. 6. tio, sed omnes essent docti à Deo, omnes perfecti, omnes sancti. Verum impossibile est ut optatiuus hic, in indicatiuum transferatur. Ob id Apostoli superioritates ordinauerunt in ecclesia, quibus & salubres regendi tradiderunt regulas, quemadmodũ & subditis obtemperandi, ut in eorum claret epistolis. Ipse deniq; Paulus perfectus euangelij obseruator doctorẽ se nun

1, Timot. 2. cupat ad Timotheum scribens dum ait. Testimonium Christi temporibus suis confirmatum est, in quo positus sum ego prædicator & apostolus, ueritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide & ueritate.

ERROR

ERROR DECIMVSQVINTVS

Errant qui asserunt ecclesiā non habere authoritatem cōdendi salubria instituta, diuinum cultum, ad dei gloriam promouentia, cōmunionem, pacem, & fidelium concordiam procurantia, ad charitatem dei & proximi fouendā & exaugendam excitantia, & uniuersaliter quomodolibet ad bonum ecclesiæ & fideliū prouidendum, conseruandum, & confouendum ordinata. Vnde dicunt libertatem Christianam tantam à legibus conferre immunitatē, quòd nullus homo, sit Papa, sit episcopus, sit concilium, sit quiuis alius, potest constituere homini christiano legem aliquam canonicam, nisi liber eius accesserit consensus. Hæc assertio fundatur super falso fundamento, uidelicet, quòd libertas Christiana hoc includat, & quasi pro necessaria habeat sequela. Cuius contrarium habunde in superioribus est ostensum.

ERROR DECIMVSSEXTVS

Errant quoq; ex eodem fundamento, affirmantes quòd et in tēporalibus uel ciuilibus temporalem politiam concernentibus, principes, & potestates temporales auctoritatem non habent cōstituendi leges, quantumuis iustas, honestas, possibiles secundum naturam, & secundum consuetudinem patriæ, loco temporiq; conuenientes, claras, necessarias & utiles, sine accessu consensus subditorum, quasi libertas christiana, chri-

stiano qui spiritualis esse debet, & sancte ac iuste uiuere concedat, ut sine disciplinæ freno agat quodlibet in detrimentum sui, in iniuriam proximi, in contumeliam Dei.

Dices forte, habet Christianus legem diuinam sibi sufficientē ad salutem, ut nullis alijs egeat legibus.

Responsio. Lex diuina necessaria ad salutem tra-
Matth. 22. dit per generales quasdam regulas. Vt diliges proxi-
Matth. mum sicut teipsum. Et omnia quæ uultis ut faciant uo-
Psal. bis homines, et uos facite illis. Et declina à malo, et fac bonum. Et similes, quas nō quiuis scit aut potest ad singulos particulares applicare casus, & in singulis discernere quid iustum, quid iniustum. Vnde leges humanæ sunt particulares applicationes & in particularibus casibus, explicationes legis naturalis & diuinæ, ad quas etiam obseruandas ordinantur, ut sic habeant leges naturalem & diuinam pro principio, ex quibus manant, & pro fine in quas ordinantur.

ERROR DECIMVS SEPTIMVS

Ex dictis claret error asserentium hominem christianum nō esse subiectum legibus humanis, nisi his solis, quæ ipso sciente & approbante sunt institutæ, aut in quarum obseruantiam liberū præstitit consensum. Sunt etenim correlatiua, potestas legem constituendi in prælato uel principe, & necessitas obtemperandi in subdito, ut supra est deductum.

ERROR DECIMVSOCTAVVS

Ex eisdem motiuis errant, affirmantes, non esse pro legum humanarum transgreßione subditos puniẽdos secus factum sit tyrannicum. Dato uno inconuenienti, sequũtur plura. Quia ex uno falso principio plurimæ inferuntur conclusiones reprobæ. De punitione æterna habunde superius disserui. Verum temporalis, cũ illa non modo sit præteriti deletiua & satisfactoria, sed & pro futuro remediatiua, duo sortietur nomina propter duos quos operatur effectus, ut non pura pœna, quin uerius medicina iudicetur. Magis etenim futurum quàm præteritum respicit, habendo respectũ, tum ad commodum trãsgredientis priuatũ, tum ad bonum publicum, cuius interest, ut excessus non prætereantur impunes. Vbi ergo legis iustæ transgresſio, ibi & punitio locum habet & esse debet. Nam culpa per pœnam regulatur.

ERROR DECIMVSNONVS

Errant asserentes libertatem Euangelicam habere solam fidem pro re necessaria ad salutem & iusticiam, quia (eorum sententia) sola fide obtinentur, salus & iustitia. Hi assertores solam iusticiam primordialem, quæ in iustificatione confertur, & in adultis per fidem & contritionem obtinetur, necessariam ducũt & sufficientem ad salutem, quasi non sit cum illa iustitia, alia necessaria, uidelicet charitatis & sanctæ, iu-

stæ & piæ conuersationis. Vnde quanquàm uera sit assertio de salute & iustitia primordialibus, quæ in iustificatione conferuntur, concurrente contritione in adultis. Quia tamē uniuersalis est assertio, quæ perfectam quoq; salutem & omnem præsentis temporis cōplectitur iustitiam, quam non fides sed charitas præstat, erronea est. Iustitia equidem fidei, adultis, sine iustitia charitatis quæ operibus consummatur, non sufficit, ab operibus nempe iustis denominatur iustus, teste propheta, qui iustum ex operibus describit, dū ait. Vir si fecerit iudicium & iustitiam, in montibus non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israël, et uxorem proximi sui non uiolauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, & hominē non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per uim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit uestimento, ad usuram non cōmodauerit, & amplius non acceperit. Ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium uerum inter uirum & uirum fecerit, & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit ut faciat ueritatem. Hic iustus est, uita uiuet ait dominus deus. Hæc ibi. Vides ex his quid ad iusticiam requiratur, an hæc omnia sola fide complentur? Non repudiandum itaq; uetustum uerbum est, quòd opera iusta iustum faciunt, non modo ostensiue, uerumetiam denominatiue, eo modo quo ex actu

Charitas præstat & complectitur omnem iusticiam.

Ezech. 18.

Iustus ab operibus denominatur.

Opera iusta iustum faciunt.

actu potentia, & ex accidente denominatur subiectũ, sicuti paries per dealbationem fit albus, qui si albedinē in se contineret uirtualiter, & in seipso producere posset in actu, uere diceretur quòd paries per dealbationem seipsum album fecit. Sic iustificatus per gratiā & fidem iustus factus, & hoc ipso charitate unà cum fide dotatus, iusticiam charitatis & operum in uirtute poßidet, omnibus operibus sanctis prægnans et fœcundus, quæ pro loco & tempore tenetur in lucem educere, ut sic ex iusto in uirtute, fiat iustus in actu & opere, à quo & iustus denominabitur. Ex quo claret adultum non sola fide beatificādum, & per consequēs libertatem euangelicam non solam habere fidem pro re necessaria ad iustitiam & salutem.

ERROR VICESIMVS

Ex eadem radice errant asserentes libertatem euāgelicam expugnare omnia opera, omnes ritus, omnia instituta, quæ non sunt à deo præcepta. Et quicquid generaliter in externis seruari potest cærimonijs, ut enim supra est cōmonstratum. Regnum spiritus Christi nihil impugnat, nihil refutat, nisi quod suo aduersatur dominatui. Acceptat autem quicquam quouis pacto sibi adminiculatur. Perspicuum autem est, quòd opera bona non modo non impugnant Christi regnum, Regnū spiritus nihil refutat.

nerum quoq; in administratione regni sunt necessaria. Cæterum opera bona, bonos non respuunt ritus, bona instituta, cærimonias bonas. Vt quid ergo illa expugnat, quæ munimem et regno et ueræ libertati præstant, eamq; fouent, recte & discrete in usum uendicata? modo in eis non ponatur principaliter salutis fiducia.

Hæc de libertate euangelica impræsentiarum sufficiant.

Soli Deo honor & gloria.
Victrix triumphet ueritas.

ERRATA

A.fo.3.fa.1.uer.11.in uerbo, uos. fo.8.fa.1.uer.20 & ex cõsequenti. B.fo.2.fa.2.uer.7.expetit in homine. fo.5.fa.2.uer.17.pro quarum. D.fo.5.fa.2.uer.4.quadrabit fraternæ? uer.5. & pœnæ æternæ. E.fo.1.fa.1.uer.23.quoq; externum. fo.6.fa.1.uer,12.mẽstruatæ. fa.2.uer.19.insidiatrice.

Excusum Tubingæ per Hulderichum Morhart.
Anno. M. D. XXV.